INSTITUTIONES

MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

EX COLLEGIO MED. CHIR.

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM

S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR

AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. VII.

DE CACHEXIIS

ROMAE

Ex typographia Contedini 1839.

Ad Thermas Agrippae.

P. ALOYSIO VALENTINI

SEPTIMUM DE RE MEDICA LIBRUM
TYPIS MANDANTI

OLYMPIADES CORSI

PRESBYTER AMERINUS

EPIGRRAMMA

Ite procul, febres: deperditor aegra malorum
Turba, lues, vermes, purpura, lepra, dolor.

Alter enim cernit post sexta volumina lucem
Ecce liber, morbis qui fera bella movet.

Hic solers meritos virtuti quaerit honores,
Ille sibi clarum nomen in arma parit;

Hic studet insomnis servire cupidinis igni,
Ille peregrinas undique cogit opes.

Haec tibi pro vili: lusus, et festa theatri
Negligis: una animam sollicitudo tenent:

Extingui morbos, sanari vulnera: cordi est
Una hominum, repetis nocte, dieque, salus.

A *

Di tibi pro tantis meritis mercede rependant
Grates : Dique tuum nomen in astra ferant.

Rura, laresque tuos servent, neptesque, sororesque,
Adsint et cunctis fata secunda tuis.

Miretur vires, stupeat florere rosarum
Ipsa colore tuas tarda senecta genas.

Excipe, mi Doctor, devoto deprecor ore,
Excipe, quae fundo, nescia vota doli.

CLASSIS SEPTIMA

CACHEXIAE

GENERALIA DE CACHEXIIS

§. 1337. Cachexia pravum significat corporis habitum, ut bonum evexia. Habitus autem est corporis constitutio, quae sub aspectum cadit, graece catasceve, κατασκευὴ, admodum varia. Corpus enim aut est bene constitutum, et firmiter functiones adimplet; aut nullam partium ostentat symmetriam; aut est pinguissimum, aut gracillimum; aut bono, aut malo colore distinctum. Quia veteres a prava humorum indole cachexias, a bona evexias oriri autumabant, ideo cachexiis cacochymiam, seu fluidorum depravationem alligabant. Quoniam vero cacochymiam in quatuor species dividebant, scilicet in biliosam, sive cholericam; pituitosam, sive phlegmaticam; atrabilarem, sive melancholicam; et serosam; modo unam, modo aliam subesse arbitrabantur; eoque in eorum

pathologia cachexiae et cacochymiae nomen, sicut fere idem valens, usurpabatur. Corporis constitutio quamvis sub sensus incurrat, non semper distingui potest, nisi diligenter morbosa circumspiciantur foenomena. Innumerae enim in diversis hominum stirpibus deformitates contingunt in corporis habitu, quae morbosae minime sunt, sed ab influxu climatis, aut arte, aut etiam vivendi ratione productae. Calmuci ex. gr. qui Caspium adcolunt, influxu climatis faciem praeseferunt latam et depressam, oculos minimos quatuor vel quinque digitos transversos ab invicem distantes, duo pro naso foramina, genua intrinsecus, pedes extrinsecus vergentes: habitatores terrae ignis habere magnum caput, pectus humerosque latos, exiguam et contractam staturam, subtiles coxas, crassa genua, gracilia crura dicuntur: Scythae parvo instruuntur corpore; magno capite, habita ratione corporis; sublatis humeris; collo brevi; oculis eo magis exiguis et excavatis, naso eo magis parvo, quo magis ipsi ad polum accedunt: eandem ob caussam hanc vel aliam aeque turpem

formam aliae gentes exhibent. Sinae vero per artem habent exiguos pedes; ut plures populi orientalis plagae longas aures: dicuntur turcae obstetrices capiti recens natorum globosam formam comparare: secundum Charlevoix, quaedam Canadae silvaticae gentes cranium rotundum, aliae depressum sibi conficiunt: etc.

§. 1338. Si igitur praecipuus cachexiarum character in morbosis corporis deformitatibus consistit, non sine ratione a Nosologis inter illas numeratur phthisis, hydrops, pneumatosis, icterus, impetigines, affectiones quas Sauvages appellat cachexias anomalas, ut sunt phthiriasis, trichoma, alopecia, etc. Nos vero quia plures horum morborum communem habent originem et sedem cum morbis ad alias classes pertinentibus, inter retentiones posuimus, qui a retentione substantiarum sive recrementitiarum sive excrementitiarum nascuntur, ut icterus, hydropisis, pneumatosis, polypionia; inter impetigines, qui in textu cutaneo sedent, ut scabies, tinea, lepra, trichoma, alopecia; inter autem cachexias, quorum primordia in vasis, glan-

dulis, visceribus, ossibus, et humoribus considunt, ut atrophia, tabes, phthisis, scorbutus, scrophula, siphylis, rachitis, aliaeque ossium morbosae affectiones.

§. 1339. Cachexiae vel primariae sunt, vel symptomaticae, et secundariae. Etenim saepe ab actione caussarum sub aetatis flore, vitaeque robore consurgunt cachexiae; sed saepissime a praegressis morbis sive acutis, sive chronicis propter partium atoniam, functionum languorem, interversosque humores vitiatur corporis constitutio, ut a pallore vultus, torpenti humorum circuitu, marcore deprehenditur. Haec cachexiarum distinctio antiquissima est, ut ab Aretaeo colligitur, qui lib. I. cap. XVI. de caussis et signis diuturnorum morborum ita scriptum reliquit = Omnium simul vitiorum malus habitus conversio est. Siquidem ab omnibus morbis propagatur et emanat. Verum et ipse solus citra alios morbos materiam multam lutulentam nactus, a principio nova aegritudo gignitur. =

§. 1340. Quoniam cachexia evexiae opponitur, in qua corporis vires valent, be-

ne et prompte digeruntur alimenta, perfecte nutritur corpus, libere ducitur spiritus, viget nativus color, et omnes functiones ad unguem absolvuntur, manifeste patet, illius characteres esse oppositos, scilicet debilitatem, depravatum colorem, functionum laesionem, maxime digestionis, chylificationis, nutritionis, respirationis; humorum vitia, ex quibus pravam constitutionem oriri putabant veteres. Dixit Aretaeus loc. cit. = Quod si ad imbecillitatem vitiosorum corporis humorum natura conversa fuerit, id jam malus habitus est, quem Graeci cachexiam nominant. = Hisce autem adduntur flatus, a quavis exercitatione corporis prompta lassitudo, cordis et arteriarum palpitatio frequens, circulationis languor, insensibilis perspirationis spectabilis imminutio, urinae crudae aqueae tenues, pruritus in superficie corporis a liquidis particulis quae expelli deberent, concitatus, abrupta quies, ut loc. cit. idem adnotat Aretaeus = Corpore squallent, sudore carentes, et pruriginosi, somnus nequaquam firmus est, sed decumbentes connivent = Eadem ratione pu-

stulae foedant cutem, et ulcera rodunt, ut lib. III. cap. XXII. ita animadvertit Celsus = Huic praeter tabem, illud quoque nonnunquam accedere solet, ut per assiduas pustulas, aut ulcera summa cutis exasperetur, vel aliquae corporis partes intumescant = Denique a perseverantia, et augmento symptomatum, praesertim vitiatae corporis nutritionis, effugi nequeunt extrema.

§. 1341. Scriptores cujusvis memoriae ad caussam proximam cachexiarum statuendam varias prodidere sententias. Eam vero plerique veterum in diversis cacochymiis ponebant: methodici in partium solidarum debilitate: Galenici in frigida et pituitosa intemperie: chemici in aquarum et pituitarum redundantia: mechanici in aequilibrii defectu ab atonia solidorum et obstructionibus lymphaticis producto: Boerhaave in depravata nutrientis humoris indole, aut in vasorum recepturorum vitio, aut in deficiente apponendi facultate; et hinc adjunxit eorundem vasorum contranctilitatem aut laxitatem, et inde pendentia vitia: Sprengel in potentiae vegetantis debilitate, cum prius

ut hujus caussam nervorum imperium indicavisset, deinde deficientem materiem alibilem, et tandem ablationem nimis auctam per absorbentia vasa. Verum si foenomena cachexias praecedentia et comitantia, earumque excitantes caussae nostrum advertunt animum, dubitari non posse mihi videtur, quin primaria cachexiarum caussa sit solidarum partium infirmitas, cui aliquod speciale fluidorum copuletur vitium. Res exemplis illucescit. Scrophulae a solidorum debilitate, praesertim glandularum vasorumque lymphaticorum oriuntur; sed eodem tempore lymphae redundantia et crassitudo subest: rachitis offert universae debilitatis speciem, unde per ossa inaequaliter distribuitur alimentum, quorum vasa phosphatem calcis non separant, eoque emolliuntur; sed in primis et secundis regionibus abundat aciditas, evidens adest liquidorum vitium, et ipsius phosphatis calcis exuberantia: scorbutus secundum Milman, aliosque scriptores ab atonia solidorum ortus, perspicuam ostentat humorum mutationem et dyscrasiam: syphilis nascitur a venereo contagio aliquas corporis

partes potissimum adoriente; sed hoc contagium libenter lymphis mucisque cohaerescit: marasmus infantilis ut plurimum ab imbecilla puerorum constitutione ortum habet; sed semper extant copiosae aciditates, quae perfectae corporis nutritioni adversantur. Natura autem caussarum remotarum nostram opinionem confirmat. Inter has caussas, quae plures sunt, aetatem et anni tempus posuit Aretaeus, qui loc. cit. inquit = Aetates hujus morbi feraces sunt in primis senectus, neque mortem evadunt. Pueri et celeriter pati idonei sunt, et liberantur facilius. Florentes aetate haud ita valde huic malo patent, non tamen penitus facile sanantur. Tempus anni non unam hanc fert aegritudinem, neque uno tempore finitur. Verum autumnus concipit, hyems alit, ver ad ultimam vehementiam perducit, aestas vero interficit. = Cur senes ad marasmum propendeant et pereant; cur pueri, si prompte curentur, expeditius convalescunt; cur juvenes ad pravum corporis habitum non adeo flectantur, et ubi actione gravium caussarum cachetici fiunt, non sine

negotio liberentur; cur tandem anni tempestates ad cachexias disponant, easque nutriant, pejoresque et lethales reddant, facile intelligitur. Praeterea inter praedisponentes caussas recensendum est temperamentum, vitae genus, quaedam animi pathemata. Qui enim nascuntur debili laxaque temperie ad pravum habitum naturaliter vergunt, praesertim a parentibus cachecticis geniti. Qui otio et desidia vivunt, et prolixe dormiunt, siquidem musculorum, vasorum, et viscerum vigorem perdunt, expedita humorum circulatione, alimentorum digestione, nutritione, et perspiratione non gaudent. Inquit Van-Swieten Tom. III. §. 1168. pag. 639. = Illi vero qui delitiis affluentes largis quotidie fruuntur epulis, nec se ad labores credunt natos esse perpetuis querelis medicorum aures fatigant, dum volunt vivere sani, et nihil agere. Literati viri qui mentem acriter exercent, corpus vero minime, impallescunt libris suis, cachetici omnino. = Tandem affligentia animi pathemata summopere enervant solida, depravantque fluida, eoque praecipuae perturbantur fun-

ctiones. Plurimae autem sunt caussae, quae cachexiis occasionem praebent, ut malignum coelum; prava alimenta, et digestu difficilia; assidui et improbi labores; ex operosa vita in inertem transitio; secretiones et excretiones immodicae; diffusae sanguinis jacturae; substantiarum expellendarum retentiones; suppressio illarum exonerationum, quae certis temporibus recurrere solebant, ut vomitus, diarrhoëae, haemorrhoidum fluxus; defectus aut vitium humorum digestioni et chylificationi famulantium; aliquod specificum virus, quod attentat solida, et humores adulterat; vasorum et organorum vitia; graves praeeuntes morbi, ut sunt febres diversi generis, diarrhoeae, dysenteriae; praepedita materiarum morbidarum excretio, ut evenit per praeposteram inveteratorum ulcerum exsiccationem in cruribus, ex quibus assidue nocuus et acris humor manabat. Praecipua harum caussarum effecta digestionis, chylificationis, et nutritionis laesiones putantur. A subacta enim nervorum et fibrarum muscularium ventriculi vitalitate, hujus visceris contractionis et dilatationis motus ad alimen-

ta succo gastrico immiscenda, eorumque chemicam solutionem promovendam necessarius torpet. Deest insuper illa animalis temperies, qua succus gastricus solvit alimenta, et vicissim solvitur ab ipsis; eoque digestio et subsequentes processus non absolvuntur. Etenim per hanc eandem temperiem chymus in duodeno immiscetur succo pancreatico et bile, quae velut est in chymum chemicum reagens, et stimulus in internam intestinorum superficiem; bilis principia dividuntur, quae inter se et cum aliis principiis tale ineunt connubium, ut inde chymus commutetur in chylum, qui in duodeno et intestinis tenuibus a multiplicibus vasis chyliferis absorbetur, et advehitur in sanguinem, in quem convertitur. Dum igitur ab enumeratis caussis nervorum influxus, virium vitalium vigor, animalis temperies extenuatur, harum functionum omnium pervertitur ordo, et hinc necessario consequi debent cachexiae.

§. 1342. Caussae, symptomata, morbi diuturnitas, viscerum status ad praesagitionem cachexiarum conducunt. Interdum enim

caussae facile amoveri possunt, ut sunt diaetae errores. Prava alimenta nutritioni corporis idonea non sunt, et ab ipsis in primis viis cumulantur sordes. Si igitur in hoc casu post purgantia et emetica, aptus concedatur victus, dummodo non superetur modus, et in visceribus vitia non lateant, absque difficultate sanitas restituitur. Sic dum caussa otium est et desidia, si gradatim actuosa vita instituitur, cachexia in evexiam commutatur. Ex adverso maximum est discrimen, si gravissimae sint caussae, ut ingentes sanguinis profusiones, vasorum et organorum vitia, repressa materiarum morbidarum excretio, defectus et depravatio humorum digestioni et chylificationi inservientium. Omnes enim hae caussae efficaciter operantur, aegre abiguntur, earumque effecta sunt plus minusve spectabilia, secundum aetatem, anni tempus, temperamentum, vitae genus, etc. Etiam symptomata modo non sunt tanti movimenti, modo maximi, et vitae periculum evidenter patefaciunt, ut virium vitalium destitutio, omnimoda ciborum aversatio, squallida macies,

tumor et pallor corporis, tensio et durities hypochondriorum, molestus et assiduus vomitus, frequentia animi deliquia, alvus pertinaciter compressa, urinae crudae aqueae praeparcae, respiratio difficillima. Sunt praeterea symptomata, quae cavitates et viscera morbosis humoribus scatere clare demonstrant, ut dum ab ipsis caput et cerebrum obruitur, vertigines, veternus, tremor, facultatum intellectualium perturbatio, quae etiam apoplexiam portendunt: si pectus et pulmones, spiritus angustia et interclusio sub quovis corporis motu: si abdomen, hujus tumor, inopia urinarum, oedema pedum. Quoad autem morbi tempus, si hic in principio sit, et caussae et symptomata levia, atque nulla in vasis et in visceribus vitiorum suspicio premat, recuperandae salutis spes jure habenda est: contra in diuturno morbi cursu, ubi intervertuntur functiones, solvuntur vitae vires, et contaminantur fluida, est inevitabile fatum. Inquit Van-Swieten Tom. III. §. 1173. pag. 650. = Ubi enim omnes humores morbosi sunt, omnium viscerum functiones ad-

modum labefactatae, languidam vitam trahere possunt miseri, sed tot malis tandem succumbere debent. = Denique a varia viscerum conditione, modo ducimur salutis spe, modo praevidere debemus funestum finem. Ita paucis Klein Interpr. Clinic. pag. 34. = Viscerum integritas multum relinquit spei, et contra. = Etenim ubi in istis extant vitia, ut suppurationes, exulcerationes, scirrhi, gangraenae, aegri plerumque pereunt.

§. 1343. Si primaria cachexiarum caussa solidorum debilitate, et aliquo humorum vitio continetur, ad illis restituendum amissum vigorem, ad his bonam conciliandam indolem generalis curatio dirigi debet. Quocirca si fieri potest subigantur caussae, praescribatur idoneum diaetae regimen, et ad propositum finem aptiora remedia. Sed haec, et ipsa congrua diaeta infructuosa evadit, nisi caussae excitantes propulsentur. Si itaque pravus corporis habitus proveniat ab humido et palustri coelo, ille quidem non emendatur, nisi in purius salubriusque migretur. Plurima apud auctores inveniuntur exempla, quibus confirmatur, hoc solo

praesidio scrophulas, rachitidem, scorbutum, et ipsam veneream luem, quae rarissime sponte sanatur, penitus evanuisse. Si a speciali contagio oriantur cachexiae, ut siphylis, quaevis curatio evanida foret, nisi illud concutiatur et deturbetur: si a deprimentibus animi pathematibus, quae corporis functiones pessundant, et saepissime marasmum inferunt, quaevis auxilia effectu carent, nisi illa reprimantur. Verumtamen si hujusmodi caussae omnino comprimi non possint, a diaeteticis praeceptis studiose observatis semper aliquod emolumentum trahitur. In omnibus igitur casibus bona sint alimenta, ad coctionem expedita, ipsis morbi caussis opposita, et a miseris aegrotantibus cupita. Quae enim desiderantur jucundiora sunt, faciliusque digeruntur. Et ubi forte contingat, quod alimenta quamvis selecta et levia a dejectis ventriculi viribus non concoquantur, tum condimentis et aromatibus paranda sunt, ut summus Boerhaave, aliique practici admonent. Sed omnibus praestat modicus vini usus; purus et campestris aër; apta corporis exercitatio,

ut ambulatio, equitatio, vectio; animi perfecta quies. Ab his saepius quam a remediis aegri sanitatem recipiunt. Interdum tamen pharmaca omittenda omnino non sunt. Etenim cachectici saepe non digerunt alimenta, et hinc vel in ventriculo, vel in intestinis aggeruntur saburrae, quae sive emeticis sive purgantibus subduci debent. Si autem aciditates exuberant, magis expediunt quae eas absorbent et expellunt: si viscositates, magis salia, ut polychrestus, tartarus solubilis: si complicentur vermes, qui in corpore cachectico familiares sunt, magis oleosa, quibus adjunguntur anthelminthica, ut mercurius dulcis, semen santonicum, corallina maritima, etc. Hoc modo exactis gastricis sordibus, tam interius quam exterius saepe roborantia juvant; sed a levioribus stimulantibus incipiendum est. Pertinent ad interna absynthium, radix gentianae, calamus aromaticus, cortex peruvianus, et haec sub varia forma dari solent, ut illa pulveris, decoctionis, extracti: ad externa frictiones et balnea. Maxime utiles sunt frictiones, ubi alia corpo-

ris exercitatio deest, sed a levioribus inchoandum, ut ab illis ex simplicibus pannis laneis, mox ad efficaciores transeundum, ut ad illas ex pannis laneis vaporibus aromaticis imbutis. Balnea autem laudat Celsus ad promovendum sudorem. Inquit vero Van-Swieten, calidam balneorum temperiem, quia lassitudinem partium solidarum auget, convenire non posse, nisi jungantur stirpes aromaticae, ut aquae egelidae vis emolliens et relaxans corrigatur. Deinde Tom. III. §. 1179. pag. 661. addidit = Certe si aquosum abundans in tali corpore diffIandum sit per sudores, in laconico sicco si quotidie per aliquod tempus haereant tales aegri, melius hoc obtinebitur, quam balneo humido: si autem scopus sit roborare nimis flaccidum corpus, balneum frigidum potius conduceret = Observavit etiam corpora debilia esse balneo frigido assuefacienda. Pluries vidimus, immersiones frigidas esse salutares, dummodo prudenter fiant; siquidem ita musculorum flacciditatem emendant, ut iterum ad motus et actiones perficiendas appositi evadant. Balnea etiam ex

calido vino aut simplici aut cum substantiis aromaticis opem ferunt. Alia etiam esse possunt in cachexias auxilia, ut edulcorantia, deobstruentia, diuretica, diaphoretica, gummosa, saponacea, alchalina, mercurialia, aquae minerales, balnea mineralia aut marina; sed horum delectus ab illo speciali humorum vitio praecipue dependet, quod in unaquaque deprehenditur cachexia. Quamobrem in scrophulis quia abundant crassae lymphae, praeferuntur saponacea; decoctiones et extracta graminis, taraxaci; aquae minerales acidulae, salinae, et illae maris tam pro interno quam pro externo usu: in scorbuto praeter lac et antiscorbutica, ad scorbuticam humorum mutationem et dissolutionem coercendam acida, maxime mineralia: in siphylide mercurialia, ut reliqua antivenerea. Antequam vero incipiamus viritim discutere cachexias, animadvertendum est, quod morbi partium durarum parum ab illis partium mollium differunt. Ossa enim vasis sanguineis et absorbentibus, nervis et celluloso textu componuntur; vitalibus viribus gaudent; nutriuntur, crescunt,

consumuntur, reficiuntur; et prout hominum est aetas mutationes subeunt. Tamen ossium morbi minores numero sunt, lentiusque procedunt, quod a speciali eorum compositione, et minore vitalitate nascitur. Etenim phosphas calcis plus vel minus per osseum textum distribuitur, et ut ossibus soliditatem impertitur, sic facit, ut haec minore vitalitate gaudeant. Si igitur molles et durae partes corporis morbis fere similibus laborant, et cachexiae modo in illis modo in his praecipuam habent sedem, hanc morborum classem in duos ordines distribuam, in quorum primo cachexias partium mollium, in secundo illas partium durarum reponam. In utroque autem ordine genera, species, varietates continentur.

ORDO PRIMUS

Cachexiae partium mollium.

GENUS PRIMUM

Atrophia

§. 1344. Plures scriptores de phthisi sermonem habentes omnia consumptionis genera comprehendunt. Etenim phthisis, latine tabes, pro quavis lenta macie sive universali sive partiali, vulgo accipitur, nulla habita ratione caussae, quae eam produxerit. Quamvis vero in omni phthisi symptoma in oculis positum lenta consumptio sit, tamen quia plures sunt characteres qui diversas phthises discriminant, magis rationi consonum est, eas dividere in tria genera, scilicet atrophiam, tabem, et phthisin proprie dictam. Siquidem atrophia est consumptio sine febre; tabes est consumptio cum lenta febre; phthisis est consumptio cum febre lenta, dyspnoea, tussi, et excreatio-

ne purulenta, quae ut plurimum a pulmonum ulcere manat. Itaque de hisce omnibus disputantes ab atrophia incipiemus.

§. 1345. Atrophia, ἀτροφία, est nutritionis defectus. Vocatur etiam marasmus, μαρασμὸς, a verbo μαραίνομαι, tabesco. Sed marasmus, latine marcor, est maximus atrophiae gradus, qui esse potest cum febre, et sine febre. In eodem etiam marasmo plures distinguuntur gradus, quorum maximus est, cum pellis ossa tegit, collabuntur et excavantur tempora, contrahuntur praecordia, et vix exta abdomine contineri videntur. Marasmus igitur est atrophiae ut et febris hecticae sublimior gradus. Atrophia esse potest universalis vel partialis. Prima est totius corporis macies sine febre, tussi, dyspnoea, sed cum appetitus defectu et digestionis laesione. Altera est macies unius partis, ut manus, pedis, brachii, cruris, oculi, et a Nosologis dicitur aridura. Universalis atrophia in primariam, symptomaticam, et secundariam dividitur. Prima a suis caussis, sponte nascitur; secunda ab aliis morbis; tertia hisce succedit. Partialis

autem ut plurimum symptomatica est, ut hydropica, scorbutica, paralytica, spasmodica; sed interdum est primaria, cum scilicet per actionem alicujus caussae in aliqua parte nutrimentum deest; et interdum etiam traumatica est, ubi nempe nascitur a vulneribus, fracturis, luxationibus, si artuum ossa in propria sede non reponantur.

§. 1346. In hominibus senio confectis et in pueris frequentior est atrophia, quae aliquando in illis maturae aetatis et adolescentibus pubertatem non adhuc attingentibus evenit. Naturaliter senes ad consumptionem propendent; et cum vasa, fibrae, et partes ita rigescunt et solidescunt, ut ab humoribus non amplius penetrentur, et succo alibili enutriantur, exsolvuntur vires, corpus fit aridum, exsuccum, atrophicum, et saepe lente et sine mortis colluctatione pereunt. Haec est illa atrophia quae dicitur senilis, aut marasmus senilis. Ad hanc etiam vergunt homines non adeo senes, si habitudine corporis calida et sicca instruantur. Interdum homines maturae aetatis pro-

pter nervorum debilitatem et nutritionis laesionem in aliam incidunt atrophiam, quae a Morton nervosa nuncupatur. In hac specie est graduata consumptio; dejectae vires; inappetentia et aversatio ciborum, facies pallida, squalida, foedata maculis pustulisque; torpor totius corporis, quod ab omni exercitatione laxatur; minuuntur in foeminis, aut consistunt menstrua; alvus clausa, et si egerantur faeces quoad colorem et foetorem mutantur; urinae modo parcae et rubrae, modo copiosae et pallentes; abdominis musculorum tensio, et nonnunquam duritiae et tumores; arida cutis; lingua sicca cum siti et interno aestu; inquietudo et turbatus somnus; pulsus debilis, lentus; oedema extremitatum inferiorum; vox saepe deficiens; aliquis alternus faciei rubor; anxia respiratio; et denique accisis vitalibus viribus, lenta accedit mors. Interdum adolescentuli atrophia laborant, maxime qui debili constitutione nascuntur, maturissime adolescunt, et ad moerorem inclinant. Animadvertit Thomas, hanc atrophiam in magnis et populosis urbibus esse

familiarem, ubi pueri impurum aërem respirant, et dies in scholis refertissimis agere coguntur. Hi adolescentuli assidue in moerore jacent, pallentes, appetitu orbati, consumpti, qui nisi efficaciter curentur, cito moriuntur. Pueri autem frequenter in illam atrophiam labuntur, quae dicitur infantilis. In hac consumitur corpus, praesertim extremitates superiores et inferiores, dum venter distenditur inflaturque, et circa umbilicum duritiem et plures tumores exhibet; maxima est lassitudo, eoque in somnum et desidiam propensio; facies pallens, plumbea; respiratio laboriosa; esuries, sed prava digestio, et hinc ventris dolores, alvus soluta, et alimenta cruda redduntur; sed interdum alvus adstricta; urinae modo decolores, modo rubrae, modo praeparcae; inquies, pavor, depressio, aucta macie, cutis quae ossa obtegit, super graciles musculos, praesertim super clunes flaccida flectitur; noctu calor, siccitas, continua sitis, et tandem lenta febris, quae confestim ad obitum ducit. Haec species ortum interdum habere a crinonibus putabatur, ut

apud Nosologos videre est. Etiam lactentes pueri non raro atrophia vexantur, quae dicitur lactentium. Manat interdum a defectu lactis, aut quia nutrix non satis enutritur, aut quia foetum gerit, aut aliam ob caussam; idque cognoscitur a pueri macie, ab assiduis fletibus sensum inextinctae famis indicantibus, a praeparcis urinis et dejectionibus. Interdum vero haec atrophiae species oritur a pravis lactis qualitatibus, eoque tabescit puer, fletus fundit, seque per ventris tormina contorquet; solvitur alvus et egestiones virides sunt et male olentes. Animadvertendum vero est, quod aliquando et si lac nutricis affluat, et optimas qualitates ostentet, per caussas non bene intellectas pueri tabe conficiuntur. Non infrequenter observatur, natos a matribus aetate et robore florentibus, bonoque lacte affluentibus contabescere, quorum plures sola lactis mutatione in sanitatem restituuntur, quamvis lac maternum natorum valetudini conducibilius sit. Ergo probabiliter dicendum est, interdum per quasdam dispositiones lac etsi bonae qualitatis pue-

ris non conferre, ut non omne optimum alimentum hominibus aeque convenit.

§. 1347. Atrophia symptomatica et secundaria nomina consequuntur a morbis, unde habent originem, ut atrophia a sanguinis fluxu, quae oritur ab effusis haemorrhagiis; a ptyalismo, quae a salivae cursu; a leucorrhoea, quae in foeminis a fluore albo, unde sequitur debilitas, macies, appetitus defectus, pallor, oedema, hystericae affectiones; ab alvi fluxu, quae a diarrhoea, dysenteria, lienteria, etc.; a vomitu, qui saepe ab aliquo pylori vitio proficiscitur, et habitualis fit; a vermibus intestinalibus, ut saepe evenit in pueris a lacte depulsis; sic a rachitide, a scrophula, a scorbuto, etc. Illa vero secundaria, quae febres diversis generis excipit, communiter nuncupatur atrophia febrissequa. Sic illa partialis, quae ut plurimum symptomatica est, hydropica, paralytica, spasmodica vocatur.

§. 1348. Caussa proxima atrophiae est nutritionis defectus. Nutritio corporis deest aut per inopiam alimenti, ejusque pravas

qualitates ; aut organorum digerentium culpam ; aut impeditum chyli transitum , vel ejus mutationem in sanguinem non bene absolutam , vel inhibitam separationem illius partis animali natura praeditae , quae corporis nutritioni tribuitur. Remotae caussae plures sunt quae plus vel minus hujusmodi functiones perturbant. Illae praedisponentes in aetate et temperamento praesentim inveniuntur. In senio fibrae, vasa , et aliae partes rigent et solidescunt , idque humorum transitioni , et separationi nutrientis materiae maxime obstat. In infantia saepissime aciditates in primis viis aggeruntur, difficilis dentitio contingit , vermes furantur corporis alimentum , glandulae mesenterii obstruuntur. Praeparat etiam homines ad maciem temperamentum siccum , calidum , et maxime sensile ; adolescentes utriusque sexus , debilis constitutio , et praecox corporis evolutio. Frequentiores autem excitantes caussae sunt malignum coelum , domicilium in coenosis locis et humidis , abusus spirituum , quarundam artium exercitatio , quaedam animi pathemata. Qui ha-

bitant insalubria loca saepe lente tabescunt sine febre; in illis qui ardentibus spiritibus abutuntur, lactea vasa secundum Darwin incidunt in paralysim; in illis qui tristitia, amore, nostalgia capiuntur, confestim praecipuae functiones intervertuntur. In pueris autem saepe plures concurrunt caussae, ut prava alimenta, morbidus aër, humida habitacula, squallor, et spurcitia in qua vivunt. In his atrophia symptomatica crebro nascitur a rachitide, scrophulis, vermibus, glandularum meseraicarum duritie, et viscerum abdominalium obstructione: secundaria a repulsione impetiginum, ut tineae capitis, crustae lacteae, scabiei, etc.

§. 1349. Atrophiae primariae exitum animo videbimus, si ejus caussas, et progressum modo lentum, modo celerem gravibusque symptomatis compositum meditabimur. Aliae enim ex caussis facile subducuntur, aliae non sine negotio. Lactentes ex. gr. a defectu lactis bonae qualitatis atrophici fiunt; sed si ipsis bonum lac comparetur, celeriter recreantur: contra senes si consumuntur per maximam virium vita-

lium defectionem, et rigiditatem partium, plerumque pereunt. Cum vero atrophia festinanter progreditur, et gravia urgent symptomata, ut virium lapsio, summa macies, vigiliae, aut turbata quies, anxia respiratio, oedema pedum, pulsus exilis, nullam habebimus spem. Interdum etsi lente procedat, immedicabilis est, ut illa ab animi pathematibus, praesertim ab infausto amore. Atrophia symptomatica est plus vel minus periculosa, secundum morborum naturam a quibus proficiscitur. Illa ex. gr. a vermibus nonnunquam vincitur anthelminthicis. Narrat Alibert, hominem taeniae caussa macie confectum, ab illa usu filicis, et aetheris sulphurici exemptum, amissam arvinam reparasse. Ego etiam ab eadem caussa strigosam mulierem vidi, quae post expulsam taeniam decoctione radicis granati sylvestris, habitior facta est. Curatu autem difficilis est, quae a sanguinis, et salivae profusionibus, diarrhoea, dysenteria nascitur: lethalis, quae ab aliquo tubi alimentarii inemendabili vitio manat. Inquit Klein op. cit. pag. 98. = Interceptus

alimentorum in ventriculum ingressus ; denegatus in duodenum exitus ; digestio omnino depravata, propter solidi in ventriculo vitium, ἀτροφίαν gignunt, quam nec curasset Aesculapius = Etiam atrophia secundaria est majoris vel minoris momenti, prout major vel minor est solidorum debilitas, humorumque mutatio a morbis primariis inducta. Denique atrophia partialis saepe insanabilis est, et interdum lethalis. Dixit laudatus Klein loc. cit. = Ἀτροφία particularis, sive aridura, curatu sat est difficilis; omnibus irritis, metus est, ne tandem gangraena vel sphacelus insequatur. =

§. 1359. Ad aliud non spectat generalis atrophiae primariae curatio, nisi corpori male habito reparare nutrimen. Idcirco optimo victu, aptisque remediis digestivae vires, et omnia systemata roborentur, humorum mutationes corrigantur, et morbosae auferantur conditiones, ut libere transeat chylus, et in sanguinem commutetur. Sed in primis interest eccoproticis et clysteribus, et aliquando levi emetico primas vias expurgare. Juvat etiam mitem purgationem

repetere, ne cumulentur faeces. Deinde aperientia, saponacea, tonica, et diuretica, si ad oedema extremitatum inferiorum et hydropem adsit dispositio, ut in pueris saepe usuvenit. Digestivae vires stomachicis, stomaticis, amaris confirmantur, ut extracto corticis peruviani, radicis gentianae, baccarum juniperi. Omnia autem systemata nutrienti victu, generoso vino, peruviano cortice, ferri praeparationibus corroborantur. Exhibent bonum victum jura pulli, ranarum, testudinum; lac; ova recentia; gelatinae animales, et vegetabiles, quae secundum experimenta a Gosse instituta, facillime digeruntur, ut illae ex cornu cervi, pedibus vitulinis, sagu, salep, hordeo, etc. Praeterea non parum conferunt solatia; modica corporis exercitatio; campestris aër purus et siccus; balnea tepida; frictiones in universum corpus. Sed haec generalis curatio pro diversis atrophiae speciebus mutanda est; et caussae si fieri potest dirimantur. Si itaque oriatur morbus a diaetae vitiis, haec corrigenda; si a morbido aëre, hic fugiendus; si a cruditatibus et aciditatibus ven-

triculi, hae detrudendae. Frequentiores autem atrophiae species sunt senilis, nervosa, infantilis. Senilis aut provenit a confectis viribus et exhausto calore animali, et tum confert eximius victus, vinum generosum, lac asininum, et temperies assidue mitis; aut a fibrarum rigiditate, et partium solidatione, et tum praeter praestans alimentum, lac asininum, mitem temperiem, utiles sunt unctiones, frictiones, balnea tepida. Pro nervosa a nervorum debilitate nata; parum generali curationi addendum est. Etenim excellens victus, lac asininum, purus aër, rusticatio, equitatio, frictiones, cardiaca, aromatica, martialia, aquae minerales ferrugineae, balnea tepida magis praestant. Pro infantili, quae ut plurimum ab hyposthenica diathesi nascitur, praemissa levi purgatione, expediunt tonica, ut praeparationes ferri, et ipsa ferri scobs cum pulvere cinnamomi et saccharo; cortex peruvianus; balnea aromatica, victus nutriens. Si atrophia symptomatica est, naturae primarii morbi accommodetur curatio. Si igitur atrophia est effectus sanguinis et salivae profusionum, hae sunt repri-

mendae; et inter reliqua diaeta lactea praecellit: si vermium anthelminthica : si scrophularum, purgantia, tonica deobstruentia : si siphylidis, mercurius; sarsaparilla, et alia antivenerea : etc. In pueris frequens est illa consumptio, quae ab obstructione glandularum mesenterii oritur. Haec a pravis digestionibus; ab alvo modo clausa, modo soluta; appetitu irregulari; pallore vultus; duritie et tensione abdominis; dejectione virium; summa macie cognoscitur. Curandum est, ut resolvatur harum glandularum obstructio, et universum systema convenienti victu, et tonicis auxiliis confirmetur. Plura sunt deobstruentia, quae usurpari possunt, ut rhabarbarum, sapo venetus, antimonialia, mercurialia, martialia; sed inter omnia mercurius dulcis eminet. Identidem etiam juvat aliqua levis purgatio, ut syrupus cichorei cum rhabarbaro, florum persicorum, rhabarbarum ipsum, cremor tartari, etc. Etiam frictiones super abdomen, balnea tepida, praecipue ex aqua salsa opem ferunt. Ubi denique atrophia secundaria est, paullatim incitentur detritae vires, et humores

purificentur; eoque auxiliantur jura pulli, ranarum; testudinum; lac, praesertim asininum; gelatinae animales et vegetabiles; rusticatio; consentanea corporis exercitatio; tonica; modicus vini usus; et cum vires recipiantur, cibi animalis quantitas augenda est.

GENUS SECUNDUM.

Tabes.

§. 1351. Tabes est universa macies cum infirmitate virium, febre lenta et habituali sine tussi et puris sputo. Ergo differt ab atrophia quae est consumptio totius corporis, aut alicujus partis sine febre. Tabes interdum est primaria, et secundaria, sed ut plurimum symptomatica. Morbi signa alia generalia sunt, alia particularia, quae ejus species et varietates ostendunt. Prima sunt macies et debilitas quae gradatim augentur; febris lenta, quae ad vesperam exacerbatur: cibi satietas; depressio spiritus; pulsus debiles, contracti; alvus compressa; calor ad

manuum volas et plantas pedum; cutis aspera, sicca; sudores profusi; urinae pellicula oleaginea tectae; imbricati ungues; excavati oculi; capillorum lapsus; humerorum elevatio; extremitatum oedema: aegri tandem deficientibus viribus, instantibusque animi deliquiis, macie confecti moriuntur. Alia autem seu particularia symptomata, a caussis specialibus enascuntur. Inter species tabis primariae illa dorsalis nuncupata praesertim observanda est. Haec generatur ab effraena venere, et masturpationis vitio, unde maxime laeditur spinalis medulla. Plures sunt tabes dorsales, de quibus loquuntur auctores, sed illa mihi videtur vera in Sec. lib. de morb. 49: ab Hippocrate descripta. Reliquae enim tabes aut ab ipso Hippocrate, aut ab aliis memoratae, aut sunt symptomaticae, aut ad atrophiam spectant. Cum igitur unica sit vera tabes dorsalis, ejus imaginem eisdem divini praeceptoris verbis referam, non secus ac alii faciunt = Dorsalis tabes a medulla fit. Corripit autem maxime recentes sponsos, et veneri deditos. Sicut autem sine febre, et bene cibum ca-

piunt, ac consumuntur. Et, si interroges ita affectum, dicet sibi superne de capite in spinam velut formicas descendere videri: et ubi mingit, aut ventrem exonerat, prodit ipsi genitale semen multum, ac liquidum, et genitura in utero non manet, et in somnis profundit semen, sive dormiat cum uxore, sive non. Et cum iter fecerit, aut cucurrerit, tum alias, tum ad acclivem locum, anhelatio, et debilitas ipsum corripit, et capitis gravitas, et aures sonant. Hunc temporis progressu, ubi febres fortes ipsum corripuerit, perdunt febres lipyriae. = Alia tabes dorsalis ab Hippocrate lib. de affection. 13. sub initio delineata, ad atrophiam nervosam pertinet; et alia eodem loco et numero versus finem relata, quae nascitur ab immodica venere parum ab illa supra exposita differt. Tabes dorsalis, quam designavit Willis Pharm. ration. p. 2. Cap. v., non a fluxu seminis, sed viscosae materiae partium genitalium, non est nisi atrophia symptomatica; alia vero quam eodem loco commemorat, et quae distinguitur dolore circa lumbos, et interdum in omne corpus

protenso, et hinc vertebrarum gibbere, aut claudicatione, et tandem macie totius corporis, excepto capite, non est nisi rachitidis symptoma. Praeter autem tabis dorsalis signa ab Hippocrate exposita, quae praecipua sunt, alia etiam deprehenduntur, et a scriptoribus adnotata, ut vehementes dolores capitis, amaurosis, manuum tremor, assiduae caloris et frigoris vicissitudines, tormina et fluxus ventris, et aliquando mentis alienatio. Alia est species tabis primariae, quae nascitur a venenis, ut ab exiguis dosibus arsenici. Non adsunt signa hujusce speciei propria; sed lente corripit, et in phthisim pulmonarem propendit. Curavi pistorem triginta annorum valido temperamento donatum, cui datum fuit arsenicum in jure carnis. Post annum lentae consumptionis correptus fuit molesta tussi, et difficili respiratione; deinde sputa edidit purulenta, et tandem obiit. Haec eadem dispositio observatur in tabe nutricum, a nimis longo lactatu edita. Etenim communibus symptomatibus tabis, saepe dyspnoea, tussis, aliaque imminentis phthiseos pulmonaris signa adne-

ctuntur. Tabes autem symptomatica cognoscitur a signis primariorum morborum a quibus habet nomen. Quae venit ab abscessibus vocatur apostematodes, et lenta febre, appetitus defectu, siti, vigilia, profusis sudoribus, virium dejectione stipatur. Quae ab hydrope, comites habet sitim, praeparcam et lateritiam urinam, cibi satietatem, pallorem, maximum virium languorem, febrem lentam. Quae a duritie, et interdum a suppuratione glandularum mesenterii, eoque meseraica nuncupata, pallore, moerore, ciborum aviditate, tumore abdominis, torminibus, fluxu lienterico, lenta febre, oedemate, et saepe ascite, et vermium complicatione deprehenditur. Sic a signis propriis diversarum diathesium, tabes scrophulosa, siphylitica, etc. facile cognoscitur. Ita de tabe secundaria, quae morbos non bene resolutos, aut materiarum morbidarum retrocessione consequitur, dicendum est.

§. 1352. Caussa proxima primariae tabis est universalis, et partialis variorum systematum debilitas, nec non aliqua humorum mutatio. Propendent in tabem graciles,

debiles, cacochymici, tristes, sensiles. Frequenter hanc excitant pravum nutrimen, assidua attentio ad studia, animi pathemata, abusus spirituum, venena, obscoenae voluptates, humorum jactura, ut sanguinis, lactis, seminis, salivae, sudoris. Symptomaticae vero et secundariae tabi plurimi morbi ansam praebent, ut frequentes et immodicae haemorrhagiae; ventris fluxus; vitia oesophagi, viscerum, vasorum; diutinae suppurationes; ulcera; fistulae; duritia glandularum mesenterii; scorbutus, scrophula, siphylis; retrocessiones exanthematum, etc.

§. 1353. Tabes est semper alea plena; sed ut recta prognosis fiat, expendendae sunt caussae, morbique progressus. Curari enim feliciter potest, si caussae amoveri possint, morbus non adeo ampliatus, nec viscerum extent vitia. Quae incipit ab assumpto veneno, interdum consistit, et etiam vanescit, si remediis extinguatur venenum, ut arsenicum longo lactis usu. Illa nutricum ab extenso lactatu, saepe vincitur, praecipue si recens, dummodo repellatur caussa. Tabes vero dorsalis maximum portendit peri-

culum, praecipue si progressa, et ubi foedae voluptates non omittuntur. Sed animadvertendum est, hanc tabem remissiones habere, et interdum post plures annos redire, ut omnes observant rerum practicarum scriptores. Ego et Doct. Jo. Bapt. Vincentelli mihi conjunctissimus, in nosocomio S. Spiritus intento animo hominem triginta quinque circiter annorum tabe dorsali affectum ex abusu veneris, licet cum uxore, curavimus. Hanc tabem macies, debilitas, febris vespertina, dolores per corpus errantes, sed praecipue ad dorsum deducti, sensationes frigoris et caloris, maxime ad lumbos comitabantur. Hic morbus quamvis inveteratus, abstinentia a venere, quiete, lacte asinino, aliisque auxiliis fuit omnino profligatus: sed post aliquot menses iisdem symptomatibus reversus, iterum aeger in nosocomium se contulit, ubi post aliquem mensem periit. Eventus autem tabis symptomaticae ab ipso primario morbo praenoscitur. Periculosa ex. gr. est tabes scrophulosa, scorbutica, siphylitica; sed inter initia superari potest apto remediorum usu: lethalis

est quae a vitiis organorum oritur ; ut et lethalis, quae a largis suppurationibus et ulceribus, hydrope, duritie glandularum mesenterii. Secundaria vero tabes, nisi inveteraverit, et cito retropulsae materiae ad primam sedem revocentur, si humoribus bona indoles, et languentibus viribus concilietur vigor, nonnunquam aegri convalescunt.

§. 1354. Quaevis sit curanda tabes, caussa in primis perquirenda est. Si igitur nascatur ab omnium systematum, maxime ventriculi debilitate, tota curatio diaetetico regimine, remediis amaris et tonicis continetur. Alimenta ergo eligantur nutrientia, jucunda, facilisque confectionis ; modicum et generosum vinum ; animi quies ; conveniens exercitatio ; aër salubris ; coeli mutatio ; lactis usus ; et inter remedia quassia, cortex peruvianus, praeparationes martiales, et aquas minerales ferrugineae. Pro tabe vero dorsali apprime venus et quidquid venereas cupidines inflammet fugiendum est ; quin omni cura hae sunt refraenandae, sed absque virium jactura, quod non solum fit per syrupum nymphaeae, et laudata anta-

phrodisiaca, ex quibus expectata effecta minime habentur, sed per refrigerantia, et abstinentiam ab escis aromaticis, potionibusque calefacientibus. In morbi initio, levi praemissa purgatione, aut emetico, secundum Hippocratis praecepta prius lac asininum, deinde vaccinum est exhibendum, et mollibus cibis, facilisque digestionis languentes vires recreandae, ut sunt juscula oryzae, hordei, farinae sagu; ova recentia; tenerae elixiae aut axatae carnes. Praeterea juvant balnea tepida; cortex peruvianus; praeparationes martiales; modica exercitatio, ut ambulationes, equitationes, dummodo diligenter humiditas, frigus, vehemens sol, aëris vicissitudines evitentur. Si vero tabes symptomatica sit, curatio primarium morborum praesertim respicit. Si ex. gr. proveniat ab abscessibus, hi, si fieri potest, incidantur, et juxta chirurgiae praecepta curentur. Interius adhibeantur balsamica, lac; decoctiones carnis vituli, ranarum, hordei Germaniae, chinae dulcis, sarsaparillae, dulcamarae. Si ab obstructione glandularum mesenterii, optimum sit nutrimentum, et in

promptu habeantur tonica et resolventia, ut aquae minerales ferrugineae, martialia, mercurialia, antimonialia. Utile hinc est chermes minerale ad exiguas doses cum extracto cichorei sylvestris, et aliqua rhabarbari infusio. Deinde lac asininum, decoctiones aperientes, succi plantarum diureticarum, et aliqua potio cremoris tartari cum saccharo. Merito laudantur etiam frictiones mercuriales in abdomen; sed hae prudenter fiant, et inter morbi initia. Sic si tabes sit hydropica, expediunt diuretica; si scorbutica, antiscorbutica, si venerea antiveuerea, etc. Denique ubi tabes secundaria est, generatim diaetae regimen, et auxilia tonica, humores emendantia, maxime lac, emolumentum afferunt. Sed si nascatur a retrocessionibus materiarum morbidarum, ut ad externam superficiem reducantur, balnea tepida, frictiones, diaphoretica, vesicantia, valentissima auxilia sunt.

Phthisis.

§. 1355. Phthisis a macie, lenta febre, tussi, dyspnoea, et ut plurimum sputo purulento distinguitur. Quamvis φθίσις originem ducat a verbo φθέω, pereo, corrumpo, vitio, tamen ad denotandam corporis consumptionem vulgo accipitur. Quoniam vero cum pulmones ulcere exeduntur, lente corpus tabescit, hic morbus dictus fuit a veteribus φθίσις aut φθόη, licet inter has voces statuebant differentias, quas inutile est exponere. Sed quia lenta consumptio, et fere iidem effectus a suppurationibus et ulceribus aliorum viscerum deducuntur, hinc si morbus sedeat in pulmonibus dicitur phthisis pulmonaris; si in hepate, hepatica; si in splene, splenica; si in mesenterio, meseraica; et per eandem rationem stomachalis, intestinalis, pancreatica, uterina, cystica. Cum vero inter tot phthises frequentior et spectabilior sit

illa pulmonum, et laryngis, et tracheae, de hisce tantum, et in primis de phthisi pulmonari verba faciemus. Huic vero morbo aliud substituere nomen, ut aliquis nostrae aetatis auctor vellet, supervacaneum mihi videtur, cum semper repetam quae §. 1196. dixit Van-Swieten = Usus autem vocabulorum vim, et significationem determinat praecipue. =

§. 1356. Phthisis pulmonaris non semper a pulmonum ulceribus editur; sed interdum ab alia labe, ut ab eorum atonia, tuberculis, colluvie pituitosa, vomicis, quin subsint ulcera, licet haec facile consequantur. Hanc ob rationem transactis temporibus dividebatur phthisis pulmonaris in veram, et notham sive imperfectam. Dicebatur vera a pulmonum ulcere genita, notha ab alia labe. Haec vero divisio defendenda minime est; nam etsi phthisis non proveniat a pulmonum ulcere, aequalia fere sunt effecta, si nonnulla excipiantur symptomata, quae hanc vel illam originem ostentant. Praeterea quaecunque sit primigenia pulmonum labes, frequenter, ut di-

ximus, subsequuntur ulcera. Quoniam vero frequentiores phthiseos pulmonaris origines sunt tubercula, ulcera, pituitosa congeries, cum quibusdam recentioribus scriptoribus tres praecipuas illius species statuemus, scilicet tuberculosam, ulcerosam, pituitosam. Alii vero etiam recentiores hujus morbi multiplicarunt species, quarum aliae aut supra dictis speciebus referendae videntur, aut non sunt nisi varietates; aliae probabilius non existunt; aliae sunt phthises symptomaticae. Bayle admittit phthisim granosam, granis fere pellucidis, duris, versicoloribus distinctam; sed hujusmodi grana saepe reperiuntur in phthisi tuberculosa; et interdum tubercula non sunt nisi grana versicoloria, et lineis aut punctis nigris adnotata. Phthisis dicta glandulosa, quae affectioni glandularum corporis conjungitur, est etiam tuberculosa, quae scrophulas excipit. Phthisis hydatigena probabilius non existit; siquidem non innititur, nisi eorum observationibus, qui asserunt in sputis hydatides vidisse. Phthisis a nigro pulmonum colore nigra appellata, ut varietas ulcero-

sae phthiseos haberi potest, cum in pulmonibus cavitates pure plenae reperiantur. Phthisis calculosa est calculorum symptoma, qui substantiam pulmonum lacerant et exulcerant. Sic de phthisi ossea dici potest. Denique phthisis cancerosa est effectus cancerosae diatheseos, cujus caussa pulmones, et aliae partes cellulosa scatentes non raro hanc mutationem subeunt.

§. 1357. Phthisis pulmonaris primaria nascitur a tuberculis, ulceribus, et colluvie pituitosa pulmonum; symptomatica a plurimis morbis, ut asthmate, scrophulis, scorbuto, lue venerea, calculis, affectione hypochondriaca, chlorosi, etc., unde appellatur phthisis asthmatica, scrophulosa, hypochondriaca, chlorotica; secundaria morbos excipit, ut pleuritidem, haemoptysin, febres, exanthemata, impetigines, metastases, ideoque phthisis dicitur a pleuritide, haemoptysi, febribus, exanthematibus, impetiginibus, metastasi. Non est autem corporis consumptio, a vitio aliorum viscerum orsa, quae in phthisim pulmonarem abire non possit. Pulmones enim expedite horum malorum ex-

periuntur effecta, unde congestiones, tubercula, haemoptysis, inflammationes, suppurationes, ulcera in ipsis consequi possunt. Quoniam autem phthisici modo cito modo lento gradu moriuntur, alia divisio in phthisim pulmonarem acutam et chronicam fuit a practicis instituta.

§. 1358. Tres sunt phthisis pulmonaris gradus. Quia vero inter hujus species magis familiaris est tuberculosa, plures scriptores de ejus tantum gradibus loquuntur. Primum gradum statuunt, cum tubercula in pulmonibus efformari incipiunt; pulmones infarciri, et hecticam calefactionem experiri: secundum, cum tubercula coacta lympha, aut materie lutea, aut cinerea referta inflammantur: tertium, cum tubercula post inflammatorium processum in abscessus abeunt et ulcera, atque pus et interdum sanguinem profundunt. Sed phthisis pulmonaris, cum non sit semper ejusdem speciei, non eodem modo progreditur. Quamobrem Burserius phthisim pulmonarem in incipientem et confirmatam distribuit, et fecit, ut primae illa responderet pulmonaris phthisis, quae dicitur

notha, aut imperfecta; alteri phthisis vera, sive ulcerosa. In hac autem tres gradus distinxit, quorum primus est, cum pulmones ulcerari inchoant, et non adhuc adeo adnotabilis est corporis consumptio: secundus, cum ulcera et macies magis aperiuntur: tertius, cum ulcera largius extenduntur, exuberat pus et omnia corrumpit, macies tam aucta, ut sola pellis ossa contegat. Verum ut pro omnibus phthiseos pulmonaris speciebus statui non possunt tuberculosae gradus, sic illi ulcerosae pro omnibus admitti nequeunt. Phthises autem pulmonares, quae non incipiunt a tuberculis vel ulceribus, appellari non debent spuriae, utpote quae habent genuinos phthiseos characteres, moxque saepissime adveniunt ulcera. Nec rationem video, quare incipiens phthisis appellari debeat notha aut imperfecta; nam quaevis sit ejus origo, ut primus morbi gradus habendus est. Necesse igitur est, ut removeatur confusio, in unaquaque phthiseos pulmonaris specie tres gradus ponere, scilicet initium, augmentum, finem. In primis ideo videamus symptomata, quae hosce gradus

discriminant; deinde quae phthisim tuberculosam, ulcerosam, pituitosam esse demonstrant.

§. 1359. Incipientis morbi symptomata sunt respiratio difficilis, quae laboriosior fit sub celeriori corporis motu; tussicula cum titillationis sensu, modo sicca, modo humida, quae molestior evadit, praesertim post assumptum alimentum, et noctu, unde interrumpitur quies; ciborum aversatio; sitis; pondus et oppressio pectoris, et saepe in ejus interiore parte dolor; pulsus plerumque frequentes; hypochondria sublata, tensa, et velut oppressa pondere; ad vesperam febriles motus; gravis capitis dolor; alvus adstricta; urina pauca, et persaepe rubra; macies vix adnotabilis. Haec quidem incipientem pulmonum affectionem aperte denotant. Dum vero augetur morbus, molestior est tussis, quae vomitum facile ciet; asperior internus pectoris dolor; plus in uno quam in alio latere decumbendi difficultas; pulsus modo parvus et debilis, modo plenus et durus; febris fit lenta et hectica, atque in ejus pomeridianis exa-

cerbationibus circumscripto rubore tinguntur genae, et labia etiam rubescunt; calor in volis manuum et plantis pedum acris et urens; circa vesperam et noctu gravior tussis, qua expellitur somnus, et ubi irrepit non reficit; nocturnis et matutinis horis profusi sudores; sputa saepe spumea et cum striis sanguineis eduntur; crescit cibi satietas, depravatur digestio et alibilis materia, unde spectabilior evadit comsumptio, et raucedo incipit. Cum eo processerit morbus, comparent signa finis. Tussis est minus frequens, sed excreatio copiosior; sputa aut sunt purulenta, aut mucosa et saniosa, aut omnino saniosa, aut velut caseosa, saepe striis sanguineis tincta, coloris varia, nempe modo alba, modo nigra, modo lutea, subviridia; eorum sapor putridus est, et putor intolerandus; spiritus etiam admodum graveolens; febris duas habet accessiones, unam circa meridiem, aliam sub noctem, quas praecedit languoris sensus et frigus, et comitantur sitis et excreatio minus libera; sudores matutini profusissimi, et dejectiones colliquativae; urinae quae leve

et furfuraceum sedimen deponunt; facies hippocratica; vox penitus rauca; extrema macies; cutis arida; lingua et fauces leviter inflammantur, aphthisque obsidentur; curvantur ungues; delabuntur capilli; retinentur sputa; imminuuntur sudores; oedema pedum; frequentia animi deliquia; et tandem deletis vitae viribus, placida subrepit mors. Animadvertendum est, quod interdum mens est delira, et foenomena moralia valde differunt. Ut plurimum phthisici in iram et moerorem propendent; sed modo sunt magnanimi et sperantes; modo in animum inducunt, certe mori, quod rarius; modo se dant affectibus vehementioribus. Observat Alibert, phthisicos utriusque sexus in amorem esse proclives, idque factis indubiis comprobat.

§. 1360 Cum modo exponere debeamus symptomata, quae varias phthiscos pulmonaris species patefaciunt, ab illis tuberculosae incipiemus. Sed in primis adnotandum est, quod tubercula quoad materiem qua formantur, numerum, et volumen maxime differunt. Lympha enim densata, aut materie

sublutea, cineracea, alba, caseosa, effinguntur. Tubercula autem interdum sunt adeo numerosa, ut pulmonum parenchyma adimpleant, et consumant; sed interdum sunt minus frequentia; interdum unum est tuberculum aliquam pulmonum partem occupans, suppurationi idoneum, de quo Prax. med. lib. II. Cap. 8. loquitur Baglivi. Quoad volumen tubercula avellanis, nucibus, pisis; et minima seminibus milii similia sunt. Incertum vero est, an praecipua tuberculorum sedes in glandulis lymphaticis pulmonum sit, aut in textu celluloso, sicut plerique recentiores arbitrantur. Inquit Baillie Anat. patholog. tubercula probabiliter in textu celluloso, qui nectit aëreas vesiculas pulmonum efformari, et morbosam affectionem non esse glandularum, ut nonnulli excogitarunt. Nescio autem qua ratione Alibert credat, impossibile esse, hujusmodi glandulas in pulmonum substantia adinvenire. Etenim non solum eas descripsit, sed in sua vasorum lymphaticorum historia, ut delinearentur curavit Mascagni, et etiam eas praeparatas reliquit, quae in nosocomio S.

Mariae novae Florentiae conservantur. Praeterea novissimi anatomiae scriptores conveniunt, glandulas bronchiales esse lymphaticas, et ejusdem naturae illarum, quae per substantiam, et externam pulmonum superficiem sparsae reperiuntur. Hae autem glandulae non raro vitiantur, duritiem induunt, et in abscessus convertuntur. Hinc in earum vitio caussa non infrequens phthisis pulmonaris fuit posita. Non desunt qui tubercula, ut accidentales textus, ut organa novae formationis considerant, quae fibris textuum naturalium interponuntur. Sed tubercula non sunt nisi evidentes degenerationes, aut transformationes illarum partium in quibus sedent. Quaecunque autem sit haec sedes, certum est, principium phthisis pulmonaris tuberculosae, est ipsa tuberculorum formatio. Interdum tamen extant tubercula, etiam per plures annos, quin sensibilia afferant incommoda, et minime deteguntur, nisi qua caussa accedat, et praesertim post inflammationes pectoris, anginam, febres, ut op. cit. lib. I. Cap. ix. de pleuritide sic admonet Baglivi = Latent inter-

dum per plures annos in pulmonibus tuberculi absque sensibili molestia aegrotantis; manifestantur demum, vel post pleuritidem, vel post anginam, vel post febrem aliquam sanatam. = Sed plerumque tuberculosa pulmonum affectio diu non latet, et aperitur ab assidua et sicca tussi, quae antea mitis deinde molestior fit, et ubi aliquid expuitur, excreatio praeparca est et spumida, siquidem post repetitos nisus excreatur tandem muccus gutturis et saliva, et cum vehementissima tussis est, non raro editur sanguinis sputum; a laborioso decubitu in alterutro pectoris latere; ab oppressione et difficultate respirandi sub quovis corporis motu; doloribus pungentibus modo in hac modo in illa thoracis parte; febricula cum siti, ciborum fastidio, ferventi calore in volis manuum et plantis pedum, accessionibus pomeridianis et vespertinis; macie, et voce exili; glandulis colli, axillarum, inguinum saepe tumefactis. Cum autem tubercula in suppurationem et ulcus abeunt, excreantur sputa purulenta, saniosa, putida. Augetur macies, et illa apparent sympto-

mata, quae jam in tertio phthisis pulmonaris stadio exposuimus. Auctores qui de unico pulmonum tuberculo loquuntur, difficultatem cognoscendi pathognomonica et indubia signa hujusce tuberculi fatentur. Tamen consideratione dignum est quod lib. II. Cap. 8. inquit Baglivi = Verumtamen quantum nos observare potuimus, inter constantiora signa haec potissimum recensenda. Tales aegrotantes de caetero bene se habentes, difficulter spirare incipiunt, difficilis spiratio sensim augetur, inter spirandum non stertunt, et nihil expuunt, dolorem quoque in pectore sentiunt continuum, et dolentem in locum decumbere non possunt; sicca tussi laborant, tandem genae rubent; febricula supervenit; et negotio ad suppurationem vergente, alia suppurationis symptomata accedunt. Duo tamen tanquam pathognomonica crudi, et adhuc incipientis tuberculi signa sunt, tussis sicca, et dolor lenis in alterutro pectoris loco, cui arridet illud divini Senis tex. 63. lib. I. de morbis.,, Et quandiu quidem tuberculum adhuc crudius, fue-

rit, dolorem exilem, ac tussim siccam inducit etc.„ =

§. 1361. Phthisis pulmonaris ulcerosa ab illis nascitur pulmonum ulceribus, quae inferunt maciem, febrem lentam, et substantiam visceris corrumpunt delentque. Etenim quaedam sunt ulcera, quae nec tam extenduntur, nec tam luctuosas consecutiones advehunt, ut deducitur ab illis aegrotantibus, qui cum tussi excreant sputa glutinosa, purulenta, sanguinea, et interdum convalescunt. Hoc cum aliis practicis Burserius Vol. VI. §. LVIII. ita explicat. = Hos tamen verisimile est ulcus quoddam in pulmonibus recondere, sed callo circum aut glutine sic obductum, ut neque latius serpere queat, neque magnam hinc alimenti jacturam pariat, neque puris quidquam in sanguinem infundat. = Ut plurimum vero efformatum ulcus dilatatur, circumrodit et destruit pulmonum parenchyma. Cum ulcera in pulmonibus incipiunt, affligunt tussis sicca, oppressio pectoris, obtusus dolor, nox inquies, horis vespertinis rigor, calor, sitis, et accessiones febriles cum rubore genarum cir-

cumscripto ; versus harum accessionum finem sudores erumpunt, qui profusi fiunt, et infringuntur vires ; increscit macies ; tussis importunior evadit ; excernuntur sputa purulenta, sanguinea, putida ; augetur oppressio pectoris ; pulsus sunt celeres, parvi; vox exilis, rauca, et interdum deest ; languent oculi; urina est turbida, et cum pellicula oleaginea; dejectiones frequentes et liquidae; teter odor non solum ex ore, sed etiam ex toto corpore emittitur ; manus et pedes oedematosi ; retinentur sputa, eoque summa anxietas, respirationis labor; frequentia animi deliquia ; delirat linguaque mensque; vacillant pulsus, et praeter alia symptomata tertii phthiseos pulmonaris stadii, cum non aliud nisi cutis et ossa remaneant, vitam miseri aegrotantes deserunt. Saepe in hac phthisis specie usque ad finem animi magnitudo, hilaritas, et spes sanationis conservatur. Praeterea adnotandum est, quod dolor pectoris est saepe obtusus ; sed interdum acutus et pungens, ab irritatione puris probabiliter excitatus, quod diversas partes pulmonum et pleurae pervadit et rodit. Dolor

vero interdum deest, idque ab imminuta et excussa sensibilitate contingit. Etiam animadversione dignum est, quod etsi vasa erodantur, non effunditur sanguis, siquidem a materiis purulentis illa obstruuntur. Nihilominus sub effraenata haemoptysi interdum phthisici vita cedunt. Sectione cadaverum inveniuntur pulmones consumpti, erosi, ingentibus caveis effossi; aut foetidae putredinis congeries, et saepe pus per cavitatem pectoris diffusum.

§. 1362. Phthisis pulmonaris pituitosa plerumque a laxitate pulmonum enascitur, unde materiarum mucosarum et pituitosarum ingens quantitas secernitur, et cumulatur, quae dum assidue expuuntur, consumptio corporis subsequitur. Galenus, veteres, et plures recentiores observarunt et descripserunt hanc pthiseos speciem, senibus et cacochymicis familiarem. Tamen sunt qui contendunt, hanc ad veram phthisim pulmonarem non pertinere, quia deest pulmonum exulceratio; quod vero falsum est. Saepe enim hujusmodi congestae materiae vitiantur, et in saniem convertuntur, quae exedit et

exulcerat pulmones, ut observatione cadaverum confirmatur. Inquit Benedictus Tabid. theatr. pag. 9. = Ipsius denique cruoris pars salina, imo insipida, pituitae nomine communi celebrata, e vasculis secreta, immoratione in parte facta, non solum partis, in qua hospitatur, tenorem, et compagem dissolvit, sed putredinem exinde acquirendo erosionis redditur accomodatum instrumentum. = Sed quamvis materiae in pulmonibus collectae, quae assidue expuuntur, ulcera in ipsis non generent, symptomata tamen phthisis pulmonaris producunt. Phthisis pituitosa magna virium dejectione incipit, difficultate respirandi, pondere et oppressione pectoris, in hac vel illa hujus parte doloribus, continua tussi, qua magna excreatur muci quantitas, sive salsi, sive dulcis, sive insipidi, aut ejiciuntur crudae pituitae, ex quibus non mittitur foetor, vel in quibus nihil purulenti deprehenditur; lingua muco tegitur, et mucidus est oris sapor; pulsus, flexo in vesperam die, sunt frequentes, duri, spastici; urinae sunt pellucidae; interdum obtusus ventriculi dolor. Proceden-

te morbo, sputa quotidie copiosiora educuntur, sistit lenta febris, debilitas gliscit et macies; tandem membra fiunt oedematosa, et frigida, et aegri consumpti expirant. Cum vero cumulatae in pulmonibus materiae rodentes fiunt, et ulcera gignuntur, symptomata phthisis ulcerosae comparent, et sputa purulenta et saniosa redduntur.

§. 1363. Phthisis pulmonaris symptomatica cognoscitur a characteribus primarii morbi, ut siphylitica ab illis siphylidis; scrophulosa ab illis scrophularum; calculosa a calculis, etc. Interdum calculi componuntur in pulmonibus, et modo sunt friabiles et fere gypsei, modo duri, asperi, angulosi, ex quibus excitatur tussis, dolores pungentes pectoris, interdum haemoptysis, et pulmonum ulcus. Hi calculi tussi saepe extruduntur; subinde implent pulmones, quin producant ulcera, ut testatur Willis Pharmac. rational. Tom. II. Sect. I. Cap. 6. p. 87. Proclivitas ad hanc symptomaticam phthisim a salivis detegitur, quae exiguis calculis refertae deprehenduntur. In senibus autem est frequens illa phthisis, quae sequitur asthma. Etenim tenacibus muc-

cis pulmones replentur, urget continua tussis, spiritus angustia cum sibilo, surgit lenta febris, macies pervadit membra. Valde autem familiaris est illa phthisis, quae haepoptysi supervenit. Haec cognoscitur a sputis purulentis, quae semper copiosiora fiunt, ab ulcere producta, quod semper magis extenditur. Illa etiam non est infrequens, quae peripneumoniae non resolutae et in suppurationem transvectae succedit. Aliquando vero vomicae in pulmonibus progignuntur, quin haemoptysis, aut alter gravis morbus praecesserit, quod arduum est cognoscere; tamen non sine ratione conjicitur, si tussis sicca torqueat, laboriosum sit respirationis negotium, et macie corpus langueat. Hujusmodi vomicae sensim augentur, et interdum cum improviso rumpuntur lethales sunt. Sed aliquando exiguae sunt vomicae, quae rumpuntur, proindeque expuitur pus saepe foetidum, et non raro pulmonum exulceratio sequitur. Si vero pus, quod in vomicis continetur, penitus ejiciatur, et nulla remaneat exulceratio, nonuunquam aegri recreantur a morbo. Interdum etiam phthises fe-

bribus varii generis, exanthematibus, impetiginibus, alicui in pulmones metastasi saepe materiae purulentae, subsequuntur.

§. 1364. Caussa proxima phthisis pulmonaris aut est ipsa tubercularis affectio, aut exulceratio, aut atonia pulmonum, ex qua, ut vidimus, magna vis tenacis muci, et crudae pituitae congeritur, expuiturque. Praecipuae praedisponentes caussae sunt haereditaria dispositio; aetas inter decimum octavum et trigesimum quintum aut sextum vitae annum; senectus; mollis et enervis corporis pulmonumque compages; prava pectoris et aliarum partium conformatio, ut proceritas, gracilitas, elevatio humerorum, collum longum et subtile, curvatio spinae dorsi; temperamentum plethoricum, cholericum, lymphaticum; humorum mutationes; nimia sensibilitas; cutis candor et genarum circumscriptus rubor; vox exilis, capillus flavus, glandularum tumor; ingenium praecox; copiosa pituitae excreatio. Subinde vero qui magnam ad phthisim pulmonarem dispositionem osteutabant, vitae tempora compleverunt, referente Morton. Etiam pluri-

mae suut occasionales caussae, ut quaedam animi pathemata; intensa studia; productae vigiliae; prava alimenta; immoderati labores; immatura et frequentissima venus, mastrupatio; abusus liquorum spirituosorum; venena; aër humidus, palustris, aut rarus et levis, ejusque vicissitudines; carbonum, et metallorum effluvia; sudoris pedum, et consuetarum exinanitionum retentio; exercitatio artium, quae in aëre pulveris et irritantium particularum foeto morari compellunt; magna vocis contentio; instrumentorum inflatio; ictus, contusiones, vulnera, etc. In quaestione autem versatur, an inter occasionales caussas admitti debeat phthisicum contagium. Summi viri post Aristotelem et Galenum defenderunt phthisis pulmonaris coutagiosam naturam, ut omnibus notum est; alii vero praesertim recentiores hanc negant, ut Castellani, Portàl, Battoli, Tonelli, Cochi, Salamade, etc. Verum inter evulgata opusculum eminet vere eximium, quod laudatus Tonelli anno 1800. scripsit et in vulgus protulit Romae, in quo contra phthisici contagii existentiam evin-

centia exponuntur argumenta. Alii autem sunt qui incerti manent; alii qui dum contagium renuunt, enixissime suadent, ut omnes habeantur cautiones, tanquam illud certe existeret. Cum vero ex omni parte argumenta et facta adducantur, de hac re judicium ferre, arduum existimo. Tamen ut aliquid dicam, impossibile non videtur, quod in extremo morbi gradu propter chemicam animalium substantiarum decompositionem contagium secundarium efformetur. Quis enim inficiari potest, plures esse morbos, qui sua natura contagiosi non sunt, sed tales evadunt, cum ad certum intensitatis gradum pervenerint? Sed hanc quaestionem missam facimus. Cum phthisis pulmonaris symptomatica est, plures ut vidimus sunt morbi, ex quibus oritur, maxime a scrophula. Hinc inquit Sauvages, omnium frequentissimam esse phthisim pulmonarem scrophulosam. Observavit Mead, illos potissimum obnoxios esse pulmonum exulcerationi, qui puerili aut juvenili aetate laborarunt strumis. Frequens etiam est illa quae provenit ab haemoptysi, quam saepe suppurationes, vomicae, exulce-

rationes sequuntur. Ab inflammatione pulmonum haud resoluta non infrequenter formatur vomica, et ab hac disrupta exulceratio. Interdum a purulenta colluvie se eximunt pulmones, aut quia citissime expuitur pus, aut quia in alia loca transfertur; sed si propere non ejiciatur pus, cum acrius fiat, pulmonis excdit, et phthisim generat. Haec etiam saepe sequitur empyema. Collectum enim pus inter pulmones et pleuram, nisi obtineat exitum, eos rodit et absumit. Phthises etiam a retropulsis exanthematibus, impetiginibus, et a materiis purulentis, quae ab aliis partibus ad pulmones transiliunt, rarae non sunt.

§. 1365. Phthisis pulmonaris est periculi plena, et saepissime lethalis. Tamen stadia, species, caussae, symptomata ejus studiose contemplari debemus. In primo enim stadio aliqua spes nos fovet, quae in reliquis perditur. Ait Klein Op. cit. pag. 224. = Malum confirmatum nunquam curatur; qui id fecisse jactitant, hecticos tractarunt, vel catarrho rebelli detentos. = Tamen a pulmonum ulcere confirmatam fuis-

se valetudinem non inficior, sed raro; et forsan solum cum recens sit ulcus, non adhuc appareant colliquationis signa, et omnia favorabilia sint, ut temperamentum, humores, pectoris conformatio, pus optimae qualitatis; aut cum ulcus non serpat, nec viscus peredat, sed callosum sit cum libero excreatu. Tum aeger appetit alimenta, absque labore respirat, nec valde absumitur, eoque potest diu vivere et etiam convalescere. In universum phthisis pulmonaris primaria magis periculosa est symptomatica et secundaria, maxime si ad colliquationem celeriter propendet. Tubercula pulmonum difficile resolvuntur, quia forsan arcte contenteque substantiae pulmonum ipsorum adnectuntur, ut inquit Baillie op. cit. Saepius tubercula transire solent in suppurationem, et paullatim pulmones depascuntur, et interdum funestum empyema producunt. Etsi unicum sit tuberculum minora non sunt pericula, ut loc. cit. ita exponit Baglivi = Qui tuberculo pulmonum laborant, saepissime derepente moriuntur, nam in suppurato tuberculo pus erumpit in tracheam et suffo-

cat. Hinc quo longius a trachea, et pulmonum centro distat, cominus periclitantur de suffocatione; pus enim in cavitatem pectoris erumpit; aut per urinas eliminabitur = In phthisi ulcerosa; ulcera repunt, et intervertunt pulmones. Non minus exitialis est phthisis pituitosae exitus, licet ulceratio pulmonum non superveniat. Assidua enim muccorum et pituitarum excreatio, et lenta febris extremam corporis consumptionem, et mortem advehunt. Aliae sunt inter phthises symptomaticas, quae si ad extremum gradum non pervenerint, probabilius possunt emendari, ut chlorotica, siphylitica; aliae difficilius, ut illae quae nascuntur a scrophulis, a gravi affectione hysterica, et hypochondriaca; a moerore; a calculis, lapidibus, ossibus. Ait Benedictus op. cit. p. 100. = Phthisici, quibus pulmones ob lapidum et ossium inaequalium innascentiam lacerati fuerint, deploratissimi = Interdum vinci potest phthisis quae ab aliqua metastasi proficiscitur, si translatae materiae ad propriam sedem redeant, et immunes pulmones evadant. Gravissima ut plurimum est

quae manat ab haemoptysi ; tamen levior esse potest, si haemoptysis ab externa caussa, sine praeexistenti vitio fuerit producta. Phthisis quae excipit empyema insanabilis est. Si post pleuritidem et peripneumoniam non resolutam succedat suppuratio et exulceratio, quamvis nunquam eveniat sine magno periculo, sanatio tamen speranda est, si pulmones de caetero bene constituantur, et humores indolem naturalem conservent. Quoad autem caussas, inter illas quae magis pavorem injiciunt, est dispositio haereditaria. Inquit Boerhaave §. 1207. = Phthisis haereditaria omnium pessima, nec sananda nisi cum praecautione haemoptoës = Sic pessima est mala corporis conformatio, et pulmonum atonia. Minus timenda est haemorrhoidum et menstruorum retentio ; nam in bona spe esse possumus, si hujusmodi fluxus restituantur. Ait Klein loc. cit. = Quae ex interceptis haemorrhoidibus ac menstruis, ubi nondum contracta labes in solidis notabilis, iisdem restitutis, bonam spem relinquit ; sed iisdem fere, nisi redit sanguis, vomica erumpit, quae quo cruentior, eo

melior est = Phthisis autem pulmonaris magis in juvenibus, quam in senibus exitiosa est. Phthisici magis autumno, et austrinis constitutionibus, quam aliis tempestatibus in vitae discrimen veniunt, ut Hippocr. adnotat Aph. x. lib. III. = Autumnus tabidis malum = Denique symptomata quae spem alunt, sunt calor semper mitior; facilis respiratio; ciborum desiderium; sputa alba, aequalia, non foetida, sine negotio ejecta; validae vires; tussis semper minus molesta; dolor pectoris imminutus, et desistens; nulla sitis; alvus non soluta; urina copiosa; vox clara; somnus magis productus, quietus, reficiens. Contra infausta sunt continuae pulmonum suppurationes, ex quibus illi consumuntur, quamvis non semper consumpti in phthisicis inveniuntur, qui magnam copiam materiae purulentae reddebant; sputorum foetor, pondus, viror. Hippocr. Aph. x. lib. v. Coac. n. 434. dixit esse lethale signum phthisicorum sputum, quod graviter oleat, et simul capilli defluant, aut id ipsum, Coac. n. 435., in aquam marinam, sive salitam ad fundum

tendat. Deinde omnes practici damnarunt spnta in aqua subsidentia. Sed multae sunt apud phthisicos sputorum varietates observandae ; nam modo sputa sunt purulenta , modo saniosa et ichorosa , modo purulenta videntur et talia non sunt. Etenim subinde mucci calore et mora conspissantur , et adeo puris aspectum sumunt , ut ab hoc non expedite distinguantur. Hinc merito dixit Burserius , naturam veri puris unione symptomatum et praegressis suppurationis foenomenis detegi. Sed ad hanc difficultatem dirimendam proposuit Darwin materiem excreatus in acido sulphurico , et in lixivio caustico solvere , et utrique solutioni puram aquam addere. Si praecipitatio in utraque solutione contingat , de praesentia puris certi erimus ; sed si nulla sit praecipitatio , materia sputorum muccosa est. Etiam observatum fuit, quod oxymurias mercurii mucum non pus condensat. Disruptio autem vomicae , et effusio puris in cavitatem pectoris lethalis est; sed in phthisicis raro evenit , quia ut plurimum excreatu pus expellitur. Pessima etiam signa sunt calor he-

cticus semper auctus ; ferina tussis ; sitis ingens ; respiratio difficillima ; maxima anxietas ; somnus brevis et non restaurans ; debilitas virium , et macies ; vox rauca ; praecordia tumida ; effusi sudores nocturni et matutini ; diarrhoea colliquativa ; fixus genarum rubor ; oedema manuum et pedum ; defluvium capillorum ; aphthae ; cadaverosus odor ab ore emissus ; rigores ; animi deliquia. Non possumus vero tuto ultimum vitae momentum vaticinari , quamvis a quibusdam signis illud proximum praevidemus. Inquit Baglivi loc. cit. = In tabidis si dolor vehemens lateris de repente superveniat , brevi delirabunt , febris magna accendetur , et paucis post diebus moriuntur. = Praeterea intercepta excreatio ; summa anxietas ; gangraena circa coccygem, ad pedes , et pulmones ipsos ; pustulae rubrae , quae circa collum praesertim observantur ; pulsus debilis , contractus , vermicularis proximum vitae finem indicant.

§. 1366. Phthisis pulmonaris aggressus, quatenus per nos liceat, impediendus, quod interdum prophylactica curatione assequimur.

Haec curatio in repellendis caussis, in diaetetico regimine, in usu remediorum, quae pro diversis caussis conveniunt, tota consistit. Sed saepe etsi sedula sit praeservatoria curatio, aggreditur phthisis, potissimum illos, qui haereditariam dispositionem, et malam pectoris structuram habent. Vix initium phthisis pulmonaris apparet, sollicite curatio est incohanda, et ita ordinanda, ut inter varia systemata, methodos, opiniones, pharmaca, evitentur errores. In primis vero species curandae phthiseos est distinguenda. Si itaque tuberculosa est, et incipiens, curare debemus, ut tubercula resolvantur, eorumque inflammatio et suppuratio impediatur. Celebriores practici in hoc morbi initio purgantia mitia, emollientes clysteres, et interdum venae sectionem praecipiunt. Sed circa hanc admodum sententiis variatur. Qui considerant tuberculorum inflammationem ut astheniae, et localis affectionis effectum, venae sectionem damnant, ut Browniani systematis sectatores. Alii contra hanc inflammationem essentialem existimant, et non solum sanguinis missione, sed etiam aliis antiphlogisticis, et

deprimentibus auxiliis abutuntur, ut sunt recentiores systematici. Alii credunt, hanc phthisis speciem a caussa scrophulosa originem habere, et ideo methodum antiphlogisticam, praecipue venae sectionem, et parcam diaetam vituperant. Quis autem non videt quam hujusmodi opiniones ad errores perpatrandos trahant? Interdum enim sanguinis missio juvat, interdum maxime nocet. Utilis absque dubio est, si prudenter instituatur, ubi temperamentum plethoricum sit, valeant vires, difficilis sit respiratio, vexet tussis, pectoris dolor, pulsus contractus durus, notabilis calor. Etiam prodest hirudinum applicatio, si urgeat fixus dolor in pectore, aut in ejus lateribus. Sed si haec in detrahendo sanguine non habeatur ratio, facile intervertuntur vitae vires, eoque non amplius sperata inflammationis resolutio obtinebitur, et exitialis suppuratio consequetur. Praeterea quidam auctores in hoc primo stadio ad concutiendos pulmones ipecacuanhae radicem, et tartarum emeticum proponunt. Sed quamvis hac methodo ipsi sanationes obtinuisse perhibent, nunquam eme-

tica suaderem, siquidem a nisibus etsi levioribus, plus semel vidi sputa sanguinis edere, et in pejus morbum commutari. Inter symptomata, quae usque ab initio torquent, tussis est. Ut itaque haec mitigetur, oleosa, gummosa, et emulsiones adhibeantur; et ubi haec non sufficiunt, digitalis purpurea, et extractum hyoscyami bonum effectum pariunt. Sed doses exiguae sint, ut cordis et arteriarum vim deprimant, et etiam tussim et pulmonum irritationem allevent. Generatim in hac prima periodo opium fugiendum est; sed ubi nullum aliud remedium in tussim noctis quietem auferentem invenitur, illud adhibere necessum est. Efficacia etiam sunt revellentia, ut vesicantia, fonticuli, setacea, quae dum alio humorum fluxum advocant, tuberculorum inflammationem et suppurationem praepediunt. Narrat Alibert, vidisse moxam progressum inflammationis pulmonum mirum in modum retinere in muliere, cujus glandulae maxillares scrophulosa labe tumebant. Interdum quoque utilia esse possunt balnea, levia diaphoretica, et diuretica, dummodo prudenter usurpentur. Praemissis quae deti-

nent aut resolvunt tuberculorum inflammationem, ad ea quae ipsorum dissolutionem perpetrant, veniendum est. Multa quae ab auctoribus proponuntur non enumerem; sed solum dicam a mitioribus esse incipiendum, ut sero lactis cum succo nasturtii aquatici; aquis mineralibus acidulis; sapone veneto, gummi ammoniaco; etc., deinde ad efficaciora progrediendum, ut extractum cicutae, praeparationes hydrargyri. Victus sit levis, et facile digerendus, ut jura animalium, farinacea, ova recentia, quaedam vegetabilia et fructus, gelatinae, pisces, et cum morbus in melius abit, pulli aut vituli carnes. Lac autem, praesertim asininum, est praestans remedium, et alimentum, et ideo majorem partem alimenti constituat. Sed si per aliquam caussam lac dari non possit, decoctione carnis vitulinae, ranarum, testudinum, hordei germaniae suppleatur. Praeterea hyemali tempore transferatur aeger ad loca, ubi dulcis spirat et temperatus aër, ut ille Pisarum est. Maxime etiam juvant equitatio, brevia maris itinera, animi relaxatio. Studiose fugienda sunt animi pathemata, spiri-

tuosi liquores, labores corporis et mentis, aër vitiatus et frigidus, et omnia quae ad partem affectam irritationem augent. Ad repellendam autem actionem frigoris, quod majorem sanguinis fluxum ad pulmones et partes internas infert, nil melius quam lanea veste super carnem induere. Sed etiam si maxima diligentia exposita perficiatur curatio, saepe tamen tubercula in suppurationem et ulcera, sive in eorum secundum, et tertium stadium transeunt. Tum praecipuae indicationes sunt, sanguinem a corruptione purulenta defendere; ulcera abstergere et conglutinare; magis affligentia et gravia symptomata emollire; regulas diaeteticas statuere. Plures practici etiam in secundo stadio exiguas et repetitas sanguinis missiones imperant, quibus flectere inflammationem existimant, sed ut plurimum improspere succedunt. Et quamvis interdum vehemens febris, dolor pectoris, tussis, respirandi difficultas ad venae sectionem nos adigunt, haec per temporis punctum symptomata mitigat, sed mortem properat. Ubi igitur opus est frequentiam pulsus, et nimium calorem

refraenare digitalis purpureae usus tutior est. Quod diximus de sanguinis missione, etiam de purgantibus et sudoriferis, quae ad expurgandum sanguinem a resorptis materiis purulentis adhiberi solent, dicendum est. Haec enim remedia nil aliud faciunt, quam magis excutere aegri vires. Ad hunc finem probabilius edulcorantia et levia diuretica, et antiseptica conducunt. Ut autem abstergantur ulcera, conferunt quae puris tenacitatem solvunt, et excreatum promovent, ut prius oxymel, syrupus quinque radicum aperientium, infusiones capilli veneris, scabiosae, tussilaginis cum melle; deinde balsama nativa, ut balsamum de Mecca, Copaivae, Peruvianum. Sed haec balsama nunquam usurpentur, si tussis ingens, et calor febrem comitantur; et ubi sub eorum usu exasperatur febris et symptomata, sollicite relinquantur. Plures sunt qui omnino damnant balsama; sed si caute et mitiora eligantur, sicut balsamum tolutanum, ut et syrupus terebinthinae, aqua thedae, etiam per diureticam qua pollent virtutem, ad depurationem sanguinis contribuunt. Per hanc

rationem possunt aliquam utilitatem afferre infusiones herbarum, quae dicuntur vulnerariae, ut mille folium, summitates hyperici, hedera terrestris, veronica, agrimonia, etc. Effectibus autem absorpti puris etiam adversantur subacida, ut succus aurantiorum, et quidam recentes fructus, qui quamvis sint qualitatis laxativae, tamen per illam antisepticam juvant. Avicenna laudavit copiosum usum sacchari rosarum, cujus virtutem antisepticam experientia confirmavit. Idem extulit camphoram, quae deinde non solum a Pringle, sed etiam ab aliis bene multis ut antiseptica habetur. Inquit Burserius vol. VII. §. LXXXVII. = Sed nihil fere ulceribus mundandis, claudendisque, aut corruptioni cohibendae, et praepediendae aptius, valentiusque putaverim, quam camphoram liberali manu, diuque intrinsecus datam, a qua vix noxa, quam balsama afferre possunt, metuenda est. = Sed cum camphora exstimulans sit, nunquam eam conferre arbitramur tam liberali manu datam, ut Burserius vult: nullo autem modo adhibenda est, si febris sit vehemens,

sitis flagret, et calor. Idem dicam de myrrha ab aliquo recenti scriptore celebrata, ut fuit a Pringle, aliisque. A practicis celeberrimis, ut Morton, Torti, aliisque praedicatur cortex peruvianus; sed nisi diligenter distinguantur casus, hoc divinum remedium nocere potest, siquidem tussim, angustiam, et oppressionem pectoris adauget. Burserius autumat, eam dari posse, cum phthisis nasci videtur ab atonia et laxitate pulmonum; ab affectione hypochondriaca; et cum in hunc morbum propendent, qui a pueritia affectionibus strumosis laborarunt. Cum vero fere semper magis damnosum quam utilem corticem peruvianum observavimus, hinc solum sub forma decoctionis dandus nobis videtur, ubi magna est debilitas, et matutinae remissiones febriles adnotabiles sunt. Universaliter aquae Selteranae, quae salem alchalinum fixum continent, maxime cum foetidissima sit expectoratio, extolluntur. Etiam sub purulenta excreatione vulgo decoctio lichenis islandici, aut simplex aut cum lacte, adhibetur, cui tribuitur antiphthisica virtus, quae ve-

ro ab aliis in dubium vocatur. Et re quidem vera nec a decoctione, nec a gelatina lichenis islandici bonos evidentes effectus unquam vidimus. Ad exsiccanda autem et consolidanda ulcera plura proponuntur auxilia, quamvis hactenus exposita, eidem indicationi satisfaciunt, excreationem promovendo, sputorum qualitates emendando, et sanguinem a funestis effectibus absorptionis purulentae defendendo. Ad hunc itaque scopum proponitur aër siccus et purus; aër sulphureis vaporibus foetus; suffitus substantiarum balsamicarum. Hi vero quamvis recte fiant, ut Van-Swieten admonet, semper tussim provocant, et vias respirationis irritant. A recentioribus chymicis in variis phthisis stadiis laudibus effertur usus alicujus artificialis aëris, ut oxygenii, cum stimulo opus sit, cui diversis proportionibus communis aëris, plus vel minus activitatis conciliatur; gaz azoti, cum minuere irritabilitatem intersit; gaz acidi carbonici, cum aliquod validum antisepticum expediat. Haec vero fluida aëriformia omni effectu carentia ab illustr. practicis fuerunt observa-

ta; licet Darwin multum in curatione consumptionum, aliorumque morborum, utilia esse posse videbantur pericula Beddoes, qui ad aquas minerales Bristolii apparatum statuerat, ut variae factitii aëris species respirarentur. Laudatus etiam fuit stabularum aër, qui deinde fere inutilis repertus est. Plures recentiores commendant aspirationes terrae recenter commotae; siquidem eandem sensationem edunt ac vitalis aër, et mirifice restaurant. Hufeland Vol. I. sui diarii pag. 386. suadet, ut eas praesertim attrahant, qui ad phthisin propendent. Hoc vero superiori tempore erat notissimum. In universo regno Granatensi non ita pridem pro phthisicis balneum terrae erat in usu; et nostra aetate a pluribus practicis etiam pro aliis asthenicis morbis adhibetur. Inquit Struve in sua Asthenologia, nihil magis pro paraplegia salutare invenisse, quam stratum terrae recens motae per duas aut tres horas quotidie partibus affectis admotum. Sed inter remedia vere efficacia, quae interius usurpari solent, est aqua calcis vel simplex, vel lacte mixta; et exterius vesicantia, fon-

ticuli: setacea, quae humorum affluxum ad externas partes attrahunt. Alimenta sint nutrientia et levia, nunquam stimulantia, et si possibilis diaeta lactea. Lac enim praeterquamquod est optimum alimentum, et remedium ad corrigendos humores, ad glutinanda ulcera multum valet, dummodo febris non sit vehemens, gravis capitis dolor, sitis ingens, distensiones flatuosae abdominis, dejectiones biliosae. Lac asininum praeferendum est, utpote magis serosum; post caprillum suae tenuitatis et vulnerariae virtutis caussa; tandem vaccinum, quod continet plus butyri et casei, eoque magis nutriens. Ante vero lactis usum leviter purgandum est; mox clysteribus alvus facilis servanda. Praeterea utile est identidem aliquod absorbens porrigere, praecipue magnesiam, ut aciditates amoveantur. Secundum autem varios casus adjungi possunt lacti alia medicamina, sicut observavimus. A lacte vero abstinendum, si immodice fluat alvus; et quamvis in hoc casu illi adderentur adstringentia, infructuosum foret. Tum juvant cremores hordei, oryzae, decocta carnis vi-

tulinae, pulli, ranarum, testudinum, cancrorum fluviatilium. Nec mihi aspernenda videntur jura carnium viperarum ab antiquis practicantibus magni facta, et etiam a pluribus recentioris memoriae, ut Mead, Morgagni, De-Haen, etc. quamvis inter hodiernos plures sunt, qui non in eadem versantur opinione. Inquit Burserius loc. cit. §. xc. = Vis enim iisdem inest analeptica, nutriens, roborans, lenissime diaphoretica, qua et vires, calor, et nutritio reintegrantur, sanguinisque vitia, atque acritates tolluntur = Nunquam autem omittenda est exercitatio aegri viribus consentanea, praesertim aequitatio. Asserit Sydénham Dissert. epistol. pag. 523. nonnullos equitatione servasse, quam non solum in incipiente phthisi, sed etiam in confirmata utilem vidit. Hinc non dubitavit efficaciam equitationis in hoc morbo illi corticis peruviani in febribus intermittentibus, illique mercurii in siphylide comparare. Si vero imbecillae aegri vires equitationem non permittant, vectione in curru supplendum est, cujus mirabiles effectus idem testatur auctor. Haec autem exercitia

fieri non debent nisi matutinis horis, et caute, scilicet fugiantur aëris injuriae, illaque sensim augeantur. Rusticatio utilissima est, ubi expeditiores sunt exercitationes corporis, purus respiratur aër, et animus omni cura vacuus promptius recreatur. In longo curationis tractu saepe necesse est gravia et magis molesta symptomata mulcere. Si itaque vexat tussis, et noctis quietem adimit, satis non sunt demulcentia et expectorantia, sed aptiora sunt sedantia, ut syrupus papaveris albi, opium, ejusque composita; si diarrhoea, roborantia et adstringentia, ut ratanhia, simaruba, diascordium, theriaca, opium ipsum cui adjungi potest bolus armena, scilicet illius grano hujus grana quindecim uniuntur; si profusi sudores, aut a laxitate solidorum producti, et tum frigidae decoctiones corticis peruviani, et opii usus, aut ab humorum colliquatione, et tum corticis peruviani decoctionibus aliquot guttae elixirii vitriolici addantur, vel quotidie aqua calcis ad libram unam cum pauco lacte recenter mulcto, porrigatur; si intercepta excreatio, unde gravantur pul-

mones, expectorantia, ut oxymel scilliticum cum aqua scabiosae; si dolor lateralis pectoris, aut a pulmonum phlogosi natus, et tum hirudinum applicatio, et interdum levis sanguinis missio, aut a rodente pure excitatus, et tum setaceum loco doloris est apponendum; si in ore compareant aphthae, ut ultimo morbi stadio contingit, ablutionibus ex decoctione hordei et melle rosacco, vel gargarismatibus ex decoctione corticis peruviani, qua aliquid boracis solvitur, sunt detergendae.

§. 1367. Cum phthisis pulmonaris est ulcerosa, quae nempe ab ulceribus recta proficiscitur, unde corrumpitur pulmonum substantia, aeedem regulae, eademque auxilia valent, quae pro secundo et tertio phthiseos tuberculosae stadio indicavimus. Cum autem phthisis pituitosa sit, quae a laxitate et atonia pulmonum manat, unde secretio mucorum et pituitarum in primis aucta, praeter diaetetica praecepta, scilicet victum levem et nutrientem, modicam corporis exercitationem, et temperatum aërem, juvant decoctiones corticis peruviani cum

lacte, aut decoctiones lichenis islandici cum lacte. Etiam in hac phthiseos specie utilissimum lac est, et ut nutrimen, et ut remedium ad humores castigandos aptissimum. Praeterea locum habere possunt decoctiones calidae leviter diaphoreticae, ut ligni sassafras; et identidem ad ciendam nauseam aliqua ipecacuanhae exigua dosis. Sollicite etiam applicentur vesicantia et cauteria, quibus pituitosi humores in pulmonibus congesti ad externas partes evocantur. Per hunc finem Hippocrates aliique veteres ustionibus usi sunt. In illis autem casibus in quibus pituitae rodunt et exulcerant pulmones eadem remedia ut in phthisin ulcerosam adhibeantur.

§. 1368. Si phthisis pulmonaris symptomatica sit, aut secundaria, in primarium morbum eligantur remedia, sed illa non omittantur, quibus in phthisin primariam uti solemus. Itaque si sit symptoma affectionis hypochondriacae, remedia sunt antispasmodica, narcotica, aquae martiales, levia emetica; sed de cetero parum curatio ab illa phthiseos pulmonaris primariae di-

stat; sic si scrophularum, antiscrophulosa; si scorbuti, antiscorbutica; si siphylidis antivenerea, etc. In phthisi igitur pulmonari venerea dari potest mercurius; sed si pulmonum ulcus progressum sit, hoc remedium minime convenit; satiusque est aliis antisiphyliticis uti, ut sarsaparilla, ligno santo, etc. Si pulmonum ulcus post haemoptysin aut peripneumoniam non resolutam veniat, curatio eadem est ac illa, quae pro phthisi ulcerosa instituitur. Si morbus enascatur a retropulsis exanthematibus, aut impetiginibus, aut ab aliqua morbosae materiae metastasi, curandum in primis est, ut morbi cutis ad propriam sedem, et materiae morbosae fluxus ad aliam partem revocetur. Denique curatio pro phthisi, quae a suppurationibus et ulceribus aliorum viscerum oritur, similis propemodum illi est, quam pro phthisi pulmonari primaria exposuimus. Veniamus ergo ad illam speciem, quae phthisis laryngea, et trachealis dicitur.

§. 1369. Plures sunt scriptores, qui dum de phthisi pulmonari loquuntur, etiam

de laryngea, et tracheali disserunt; siquidem ex ulceribus laryngis et tracheae surgit lenta febris, consumitur corpus, pulmones afficiuntur ulcere, quod ex partibus prius affectis facile ad eos producitur; alii aûtem quia existere potest phthisis laryngea et trachealis, quia laedantur pulmones, et peculiares characteres exhibet, de ea seorsim tractant. Sed quovis modo hoc fiat, hic morbus ut species phthiseos habendus est, qui ab ulceribus laryngis et asperae arteriae producitur. Distinguitur a raucedine, dolore partium affectarum, voce clangorosa, sputis spumidis et purulentis, febre lenta, et macie. Veteres de ulceribus laryngis et tracheae loquuti sunt; sed absoluta hujusce morbi descriptio practicis posterioribus, praesertim Morgagni debetur. Cursus hujusmodi phthisis ut plurimum lentus est. Narrat Joseph Franch in virgine lithuanica usque ad quintum annum perdurasse. In ejus initio ut plurimum adnotanda est raucedo, titillatio, pruritus, calor, et ad laryngem aut tracheam molestus stimulus; sublimis tussicula, cui deinde jungitur do-

lor fixus et ardor partium affectarum. Sputa prius non copiosa; mox eorum quantitas augetur. Modo sunt salivalia, spumida, et cruda; modo striis purulentis mixta, vel sanguineis filamentis; modo purulenta, vel saniosa; modo sanguinea; modo inodora, vel aliquantum foetida; modo concretionibus calculosis composita. In progressu morbi crescit raucedo, et aeger aphonus evadit. Incipit consumptio, in manibus digitisque adnotabilior. Deglutitio cum dolore fit, et interdum suffocationis periculo. Saepe ex deglutitis substantiis sive solidis sive fluidis tam vexans suscitatur tussis, ut non sedetur, donec hujusmodi substantiae non ejiciantur. Accenditur lenta febris, quae horis pomeridianis cum horrore exasperatur; vespere autem intensior fit calor et sitis; noctu effunduntur sudores; mane mitescit febris. Denique confirmatae phthiseos apparent symptomata, ut urinae cum puriformi sedimine; diarrhoea colliquativa; oedema pedum; defluvium capillorum; universa macies. Ut autem cognoscatur an ulcus in larynge vel in trachea extet, observanda est

doloris sedes, et vox quae est vel plus vel minus extincta. Et ubi dolor tam superiorem quam inferiorem partem occupat, ulcus in larynge et trachea sedem habet. Ab expositis signis evidens est differentia, quae inter hanc et pulmonarem phthisin adest. In illa enim ab initio raucedo sine dolore et oppressione pectoris occurrit; facilis est in utroque latere decubitus; tussis est sublimis; sputa plerumque salivalia, spumida, et striis purulentis, et sanguineis filamentis mixta. In pulmonari vero phthisi raucedo dum progreditur morbus et etiam versus finem supervenit; plus vel minus angit dolor et oppressio pectoris; frequenter decubitus in alterutrum latus incommodus; tussis est profunda; sputa plerumque purulenta et male olentia. Sed si ulcus a partibus prius afflictis ad bronchia, et pulmones extendatur, tum phthisis laryngea et trachealis in pulmonarem convertitur, et utriusque phthiseos conveniunt foenomena. Dum autem morbus symptomaticus est aut secundarius non desunt etiam signa morborum a quibus natales habet, ut illa scrophularum, si prove-

niat a scrophulis, praesertim glandularum colli tumores; si a lue venerea, illa siphylidis, quae vespertinis horis maxime exasperantur, febris promptius evolvitur, et corpus absumitur; si a retropulsis impetiginibus, cutis naturalem colorem adipiscitur, et paullo post phthisis laryngeae et trachealis exeruntur pathemata.

§. 1370. Caussa proxima est ulcus in larynge aut in aspera arteria, aut in utraque. Et quamvis sectione cadaverum inventae fuerint hydatides, vermes, lapilli, concretiones calculosae et osseae, et ossea ipsa aspera arteria, ut plurimum tamen ulcera modo plus modo minus extensa sub aspectum cadunt, quae interdum epiglottidem rodunt; interdum ad pharyngem sibi aperiunt viam; interdum ad bronchia et pulmones producuntur. Nonnunquam vero absque ulla labe pulmones inspiciuntur. Caussae autem praedisponentes praesertim in sexu, aetate, et climate spectantur. Etenim plus homines quam foeminae; plus illi mediae aetatis, aut qui hanc superant; plus incolae frigidarum, quam calidarum regionum hoc

morbo afficiuntur. Caussae excitantes sunt potiones frigidae, aestuante corpore; prolixae et frequentes declamationes; retentio sudoris pedum, fluxus haemorrhoidalis; abusus spirituum; quarundam artium exercitatio; externae violentiae.

§. 1371. Quamvis hic morbus semper periculosus sit, tamen sperare licet, si ille sit incipiens, bonus corporis habitus, et optima pectoris structura. Contra si morbus inveteratus, et febris hectica cum phthiseos confirmatae symptomatibus urgeat, penitus abscinditur spes. Saepe ut vidimus morbi cursus tardus est; sed interdum accedunt symptomata, quae luctuosum finem properant. Inquit Joseph Franch Pr. Med. Vol. VI. part. 2. pag. 229. = Interdum erysipelas laryngem aut tracheam exulceratam invadendo, ante solitam epocham vitae finem inopinato imponit. Idem ab oedemate glottidis, phthiseos laryngeae interdum socio, expectandum est = Sic dum ulcus asperae arteriae ad pulmones extenditur, magis prompta est corporis macies, et mors. Praesagitio autem hujusce phthisis, cum symptomatica est aut secun-

daria, a bene perpensa primarii morbi natura praesertim statuitur. Non rara ex. gr. sunt sanationis exempla phthisis laryngeae aut trachealis venereae, ubi sollicite et accurate convenientia remedia administrentur.

§. 1372. Ut recte curatio fiat, perspecta caussa, si fieri potest abigenda. Locetur aeger in amplo conclavi, ubi tepida servetur aëris temperies, et statim examinandum est, an expediat é brachio sanguinis missio. Haec interdum convenit, et etiam est repetenda, si aeger sit juvenis, temperamentum sanguineum, pulsus durus, difficilis respiratio. Sub contrariis autem conditionibus cane pejus et angue fugienda est. Et ubi venae sectio anceps est, admoveantur hirudines circa partes affectas, aut vasis haemorrhoidalibus, potissimum si haemorrhoidum fluxus fuerit interceptus. Calida etiam balnea pedum esse possunt utilia. Aliquod eccoproticum bene convenit, praesertim adstricta alvo, et ubi signa gastricarum sordium appareant. Dentur deinde decoctiones emollientes et mucilaginosae, ut althaeae, seminum lini, hordei; emulsiones amygdala-

rum dulcium, quibus addi potest nitrum; et super omnia lac asininum. Omittenda non sunt vesicantia nuchae, sterno, et brachiis applicita, praecipue si acer humor ad laryngem et tracheam affluat, et in caussa morbi sit. Et si vesicantia satis non producant effectum, ad fonticulos et setacea veniendum est. Quia autem saepe multa est partium affectarum sensibilitas, et molestissima tussis, digitalis purpureae et extracti hyoscyami usus proficuus est. Utilis etiam emulsio est a Jos. Franch praescripta, quae ex scrupulo seminum hyoscyiami nigri, et duabus drachmis amygdalarum dulcium decortic., sacchari albi, gummi arabici componitur. Fit sub assidua trituratione c. s. q. aquae emulsio ad colaturam librae unius. Pars quoque anterior colli oleosis linctibus, et praesertim oleo hyoscyami perfundatur. Si vero nihil juvet, et morbus in pejus ruat, non aliud faciendum superest, nisi demulceutium et lactis usum non omittere, vitaeque vires suffulcire. Dum autem haec phthisis symptomatica est aut secundaria, alia etiam remedia conferunt. Si ex. gr. sit venerea, prudens ad-

ministratio hydrargyri, scilicet interius exiguis dosibus detur, ne salivationem moveat, quae funesta foret. Unctiones mercuriales tutiores sunt, quae brachiis et cruribus vicissim fiant; et eodem tempore decoctiones sarsaparillae cum lacte utiles sunt, ut et balnea tepida. In omnibus autem casibus, praeter remedia, quae pro natura morborum primariorum eliguntur, non negligantur illa, quae in hanc phthisin primariam adhiberi solent. Praeterea in quavis morbi periodo multum interest regulas diaeteticas praescribere. Pro nutrimento itaque assignentur juscula oryzae, hordei, aut pulticula composita ex sagu cum duabus partibus aquae et una lactis, quae fere tota in succum nutrititium et in purum sanguinem convertitur; ova sorbilia; olera recentia et tenera; fructus maturi; pisces leves; lac. Nunquam porrigantur alimenta calidissima; nunquam crassa, glutinosa, pinguia. Potio autem sit pura aqua et egelida. Dum vero aeger in sanitatem vergit, et vires recuperet, leves carnes, ut illae pulli concedantur. Constanter observetur silentium; evitetur

frigidum clima; et loca temperatissimi aëris eligantur. Dici autem non potest quam in hoc morbo juvet animi quies, rusticatio, et modica exercitatio, ut equitatio, vectio, navigatio, si vires sinant, et phthisis ad extremam periodum non perducta. Haec vero exercitatio fiat matutinis horis, et attentissime ab actione solis, et ventorum, et ab aëris mutationibus declinandum est. Ad vesperascente autem die aeger cubatum eat.

GENUS QUARTUM

Scrophula

§. 1373. Scrophula, χοιρὰς, est morbus cujus praecipui characteres sunt tumor glandularum, maxime colli; generalis atonia, praesertim lymphatici systematis; humorum vitium, potissimum lympharum, quae in condensationem et aciditatem inclinant. Hujusmodi affectio appellabatur struma, et etiam morbus regius, quippe attactu Angliae et Galliae regum, inter quos primus

Eduardus Confessor fuisse putatur, sanabilis credebatur. Scrophulae nomen a suibus hoc morbo laborantibus adscitum, est parum conveniens, sed usu nimis confirmatum. Vario modo dividitur scrophula; sed ut mihi videtur non accuratissime. Quaedam enim species a Nosologis statutae, ad scrophulam non pertinent; quaedam autem varietates non sunt nisi morbi ipsius progressus. Sauvages praeter scrophulam vulgarem (quo nomine Warthon adenograph. cap. 40. scrophulam veram appellavit) scrophulam Americanam posuit, quae multum leprae analoga est; et scrophulam Molucanam, quae ut animadvertit Alibert est species pian. Hic vero auctor in Nosolog. Natural. duas scrophulae species constituit, scilicet vulgarem et endemicam. Haec vero non est nisi varietas; siquidem in hac ut in vulgari adest tumefactio glandularum, et lymphatici systematis debilitas. Tota igitur differentia quibusdam symptomatibus continetur. Scrophula autem exulcerata, cancerosa, etc. quae a Nosologis ut varietates habentur, in progressione morbi, et in decompositionis periodo

contingunt ; eoque non sunt nisi morbi ipsius effectus. Quidam recentiores sequuntur veteres, qui sub nomine strumae scrophulam in benignam et malignam tribuebant. Haec vero divisio est fere nullius utilitatis; siquidem scrophula benigna saepissime progressu in malignam convertitur. Hufeland autem distinxit scrophulas in primarias aut veras, quarum sedes est in lymphatico systemate, et ab hujus affectione nascuntur ; in symptomaticas, quae excitantur a morbis ipsius lymphatici systematis, aut ab aliis morbis ad hoc systema non pertinentibus ; in secundarias, quae post aliquem morbum expergefiunt ; in spurias, quae ab indole primariarum aut verarum distant, et illi speciei respondent, quam Sauvages scrophulam fugacem appellavit. Verum quia non est nisi scrophula primaria, quae genuinos characteres objiciat, et sua tempora percurrat, hanc solum perpendentes, in simplicem et complicatam dividimus, siquidem diversis diathesibus persaepe componitur. Scrophula spuria ad hunc morbum minime spectat, sed quia aliquam ostentat similitudinem, ut di-

stinguatur, postremo illius symptomata paucis exponemus.

§. 1374. Scrophula est pueritiae morbus, qui ut plurimum inter tertium et septimum vitae annum, et subinde inter hunc et pubertatem, et etiam tardius consurgit. Sed Cullen observavit scrophulam in trimestri puerulo; Alibert in senibus septuagenariis. Hi vero casus rari sunt. Pueri per plura signa dispositionem ad scrophulam ostendunt, ut sunt caput potius magnum; frons prominens; capilli subflavi; oculi magni, prominentes, coerulei, saepe humidi, et dilatata pupula; labium superius aliquantisper crassum; nasus etiam tumidus, et frequenter ruber; cutis subtilis et alba; corpus videtur pingue, et formae ad rotunditatem inclinant, sed carnes laxae sunt; abdomen tumidum, et aliquando digitorum articulationes solito crassiores. Dum tales pueri corpore sunt imbecilles, praecoci et praestanti ingenio donantur. Et quamvis quidam negant, crines flavos, oculos coeruleos, albam cutem esse signa dispositionis scrophulosae, quia interdum in scrophulosis nigros capillos,

oculos, et nigram cutem deprehenderunt, tamen ut talia habenda sunt, siquidem plerumque sub observationem cadunt.

1375. Scrophula adoritur varia systemata, variasque induit formas, ex quibus Nosologi species et varietates desumpserunt. Sed hujusmodi formae ab ipsa progressione morbi producuntur, et ut hoc confirmem, scrophulae cursum in duas dispescam periodos. Prima cum morbus systemati vasorum lymphaticorum et glandularum adhaerescit; secunda, cum primos limites abrumpit, et alia systemata, aliosque textus aggreditur. Anteaquam vero utramque expromam, animadvertere est, quod quaedam in antecessum contingunt symptomata, quae ut prodroma haberi possunt. Haec sunt quae multas in primis viis aciditates latitare demonstrant, ut irregularis appetitus, eructationes acidae, borborygmi et abdominis dolores, dejectiones liquidae subvirides: praeterea dolorosae sensationes ad collum, et ubi vasa lymphatica serpunt; tumor vultus; eruptiones cutaneae; pituitosae affectiones, ut tussis, coryza; in puellis fluxus albus è vagi-

na, qui non raro, percurrentibus morbi temporibus, permanet. In puella octo annorum hunc per totum scrophulae cursum observavi, quo tandem sponte retento, hydrops ascites subsequebatur. Interdum vero absque expositis prodromis manifestatur aegritudo, ejusque incipit prima periodus.

§. 1376. Scrophulae ut plurimum glandularum conglobatarum tumore exordiuntur. Sub cute ideo praeter oculos tumores parvi, ovales, mobiles, indolentes, et absque naturalis coloris mutatione objiciuntur. Glandulae quae prius tumefiunt, persaepe sunt laterales colli, et illae sub aures et mentum; deinde axillares, inguinales, aliarumque corporis partium. Comparent igitur tumores ubicunque glandulae lymphaticae sunt. Sensim volumen et consistentia hujusmodi glandularum augetur, turgent etiam vicinae partes, eoque perditur illarum mobilitas. Interdum aliqua tantum ex istis glandulis tumefit; interdum multae, sed inter se ita separantur, ut catenae speciem effingant, sicut inquiunt auctores; interdum glomerantur, et insimul junctae tumorem progignunt,

nec amplius divisae videntur; interdum hic tumor ingens fit. Cum spectabiliter glandulae, et propinquae partes tumefiunt, etiam lymphatica vasa turgescunt. Inter morbi initia tumentes glandulae resolvuntur, sed ex facili redeunt, et interdum dum in uno evanescunt in alio apparent loco. Sed progressu temporis glandularum tumor diu perseverat, etiam per spatium unius vel duorum annorum frigidus et indolens. Post vero hujusmodi inertiae statum plus vel minus productum, incipit irritatio. Deinde suscitatur lenta inflammatio, ut a colore pallido-rubro entis et ad violaceum vergente; dolore profundo, sed non acuto glandularum; miti calore; aliquo subinde febrili motu cognoscitur. Succedit denique suppuratio, sed pus bonae qualitatis haudquaquam conficitur. Aperiuntur tumores, et ab exiguis foris materies puriformis exsilit, quae mox serosa evadit, albuminis coagulationibus mixta. Postea aperti tumores ad cicatricem tendunt, et clauduntur; sed saepe obducta cicatrix informis est. Aliquando vero hujusmodi exulcerationes diu manent apertae, et aliquan-

do efformantur sinus. Ubi scrophula mitis est, exulcerationes cicatrice obducuntur, alii tumores non insurgunt, et morbus finem habet. Subinde vero sanatio in speciem est; sed iterum suscitantur scrophulae symptomata, donec idonea curatio scrophulosam diathesin non subvertat. Tumores autem glandularum non semper resolvuntur, aut in suppurationem transeunt, sed duri et scirrhosi fiunt. Sicut tumores in partibus externis, sic in internis, ut mesenterio, pulmonibus, aliisque visceribus componuntur. Cum glandulae mesenterii obstruuntur, abdomen est durum et tumidum, diarrhoea est continua, et accedit marasmus; cum illae pulmonum, vexat assidua tussis, et difficilis respiratio; cum illae aliorum viscerum, interversis functionibus, sequitur consumptio, et lenta febris. Sed in hac prima periodo alia plura contingunt observanda foenomena, ut multiplices cutaneae affectiones; morbi catarrhales, unde ex naribus materies stillat plus vel minus acris, ut et materiae mucosae ex oculis, auribus, aliisque partibus; nam hujusmodi exsuberantes separatio-

nes etiam in bronchiis, in organis digerentibns, aliisque locum habent, eoqne foeminae non infrequenter lencorrhoea laborant. Saepe eveniunt ophthalmiae, inflammantnr et exnlcerantur tarsi, staphylomata in oculi globo, corneae lucidae opacitas. Crebro in auribns cerumen, cispa circa oculos abundat. In diversis corporis partibus tumores frigidi, cystici, steatomata parantur. Integumenta exeduntur ulceribus, quae a glandnlarum tumoribus non proveniunt; sunt sordida et pus aqnosum et irritans emittunt, rebellia, parum dolentia, et si in uno loco clauduntnr, aperiuntur in alio, foedasque cicatrices linquunt. Manant foetidi sudores colore luteo infecti ad viridem vergente. Redduntnr sedimentosae urinae. Interdum inter scrophnlae symptomata bronchocele refertur, quod a pluribus practicis abnnitur. In scrophula praesertim endemica, quae a climate, pravis alimentis, potionibusque producitur, aliqua symptomatum differentia animadvertitur. Inquit Alibert dum de hac scrophula loquitur, vultum esse oedematosum, flaccidum et sine colore; labia crassa; pellem

flaccescentem et terrei coloris, atque contractilitate orbatam; aegrotantes apathees, tristes, inertes, languentes; digestionis et nutritionis vires imbecillas. Hisce non raro adjungitur bronchocele, sicut plures testantur.

§. 1377. Ab hactenus dictis ex facili cognoscitur, scrophulas in primis aggredi lymphaticum systema. In progressione vero diffunduntur materiae morbi, in textu cellulari efformantur tumores, profundi abscessus, sinus; corripiuntur tendines, ligamenta, ossa, potissimum eorum spongiosa capita, textu celluloso et vasis lymphaticis scatentia; laeduntur articulationes, praesertim phalanges manuum et pedum; consequitur caries, et cancerosa degeneratio. Cum scrophulae ad hunc pervenerint gradum, appellabantur malignae, et etiam considerabantur, ut cancro compositae. Ait Sennertus Tom. III. lib. V. part. I. Cap. XXXIII. = Verum sciendum, malignas dictas strumas non proprie strumas esse, sed tumorem ex struma et cancro quasi mixtum, utpote qui non solum fiat ab humore pituitoso et melancholi-

co, sed etiam atram bilem admixtam habeat = Nos autem cum scrophulae ossa petunt, secundam morbi periodum inceptam credimus. In hac parantur articulationum tumores, qui lentae phlogosi et cariei ossium conjunguntur; affligunt dolores profundi et lancinantes; alterantur musculi; cumulatur materies pellem, tendines, ligamenta, et ossa rodens; si haec absorbetur, accenditur lenta febris. Interdum os femoris ex sua cavitate abscedit; interdum extenuatur consistentia ossium, accedit rachitis, et ossa emollita ponderi corporis cedunt et curvantur. Non raro emollitur vertebrarum corpus, et earum extant spinosae apophises, et medulla comprimitur. Hoc quidem ab universa corporis infirmitate, a defectu congruae quantitatis terrae animalis, et ab abundantia materiae gelatinosae nascitur. Multifariam igitur offenduntur ossa; in eorum superficie surgunt tumores; crassescunt; inflammantur; in suppurationem abeunt; carie afficiuntur; emolliuntur; et ob defectum solidae materiei, praesertim ossa longa, facile rumpuntur. Non raro etiam vitium scrophulosum

adoritur nervos, unde plures nervosi affectus. Denique omnia symptomata ampliantur; maxime laeditur digestio; aliae ex secretionibus augentur, aliae minuuntur, et hinc alvus modo compressa, modo fluxa, et hydropes; symptomata phthiseos tuberculosae, et atrophiae mesentericae ostenduntur; tumores scirrhosi glandularum in cancrum transeunt, et ideo mammarum, uteri, aliarumque partium cancer; obstructa viscera scirrhosa fiunt. Perspectis symptomatibus primae et secundae periodi scrophulae verae, facile distinguetur scrophula spuria, quamvis cum illa aliquam similitudinem ostentet. Spuria enim contingit in pueris trium, quatuor, et quinque annorum, et solum in aliquo tumore et duritie glandularum colli, praesertim maxillarum consistit. Hujusmodi tumores identidem evanescunt et redeunt; sunt fugaces, et nunquam cum his sub oculos cadunt symptomata scrophulae verae, ut labia tumida, ophthalmiae, ulcera, ossium tumores et caries.

§. 1378. Parum quidem certi statui potest de caussa proxima scrophularum, cum

sententiis admodum variaretur. Generatim veteres eam collocabant in humorum vitiis; recentiores in illis solidorum, maxime in mutatis proprietatibus vitalibus eorum. Cullen autem eam posuit in peculiari constitutione lymphatici systematis: Thomas in molli habitu, fibra enervi, et debilitate: alii novissimi scriptores in aliqua lymphatici systematis alteratione, ut sunt obstructiones glandularum et vasorum lymphaticorum, aut ut cogitat Sömmerring passiva relaxatio et dilatatio eorundem vasorum, aut secundum Cabanis aucta osculorum operositas et eodem tempore atonia vasorum lymphaticorum. Opinio vero hujusce auctoris aliis magis labans mihi videtur. Quis enim in animum inducere poterit, quod eodem temporis puncto oscula actuosiora sint, et vasa autem lymphatica atonia prosternantur? Nihilominus Richerand hanc sententiam amplexus est. Arbitrabatur Hufeland, naturam et caussam proximam scrophulae profunda atonia lymphatici systematis, irritationi specificae hujusce systematis conjuncta, et peculiari lymphae mutatione contineri. Haec vero irritatio in-

primis scrophulae momentis non deprehenditur; sed solum in progressu morbi: habenda igitur potius est ut effectus quam caussa. Contendit Girtanner, in scrophula vasa absorbentia in statu adauctae irritabilitatis sistere. Sed prima morbi foenomena atoniam et inertam lymphatici systematis evidentissime ostendunt. Carmichael, aliique plures existimant scrophulam esse morbum ab alteratione organorum digerentium profectum. Haec opinio, quae nostris temporibus ad diversorum morborum exponendam originem famulatur, fundamento destituitur. Etenim affectiones organorum digerentium sunt scrophulae symptomata, quae praesertim in secunda morbi periodo observantur. Sunt etiam doctissimi viri, ut Portal, Hufeland, aliique, qui autumant, scrophulam esse degenerationem siphylidis. Quotusquisque vero est, qui hoc persuasum habeat? Scrophula enim omni aetate viguit, dum venerea lues, saltem illa ab America in Europam ab Hispanis transvecta, ignorabatur: scrophula adveniente pubertate saepissime sponte diffugit; nunquam vero sine remediis sanari

potest venerea lues: mercurius est interdum ad scrophulam remedium, ut et ad alios morbos diversae naturae; sed non ut siphylidis absolutorium est. Ut igitur aliquid probabilius de caussa proxima scrophularum dicere experiamur, animadvertendum in primis est, quod hic morbus saepe haereditarius est, siquidem a parentibus transmittitur in filios peculiaris constitutio scrophulis opportuna. Sed haec eadem constitutio ab actione diversarum caussarum etiam comparari potest, ut sunt clima, vivendi ratio, alimenta. In quo autem talis constitutio consisit? In universa arbitror corporis debilitate, sed praesertim lymphatici systematis, et in quadam humorum mutatione, maxime lymphatici laticis, qui evidenter ad condensationem et aciditatem tendit. Dum enim languet et labefactatur lymphaticorum vasorum vitalitas, inseparabilia sunt vitia lymphae, praecipue lentus motus, stagnatio, condensatio. In initio morbi non adeo sunt haec vitia spectabilia; sed progressione adaugentur, et tam acres evadunt lymphae, ut evidentia appareant irritationis

symptomata, et deinde surgant lentae phlogoses, spasmi, motusque febriles. Lymphae denique causticae fiunt, eoque roduntur ossa, et generantur ulcera pravae indolis. Omnia autem symptomata, quae in cursu scrophularum evolvuntur, atoniam solidorum, praesertim lymphatici systematis, et alterationem fluidorum, potissimum lympharum perspicue demonstrant. Digestiones et aliae bene multae functiones labefiunt; in primis viis aciditates cumulantur; subviridia egeruntur excrementa; emittitur ex ore et perspiratione acidus odor; contingunt haemorrhagiae profusae, sudores et dejectiones colliquativae, et alia colliquationis signa. Omni igitur probabilitate caussa proxima scrophularum in exposita peculiari dispositione consistere mihi videtur. Proni autem sunt ad scrophulam nati a parentibus scrophulosis, debilibus, aetate provectis, immodica venere confractis, et lue venerea affectis. Siphylis parentum est caussa frequens, quae prolem praeparat ad scrophulam; siquidem siphylis est morbus lymphatici systematis, ad transmittendam debilita-

tem ejusdem systematis aptissimus. Praeterea inter caussas praedisponentes adnumerandus est sexus et aetas. Foeminae enim et pueri propter debilitatem, et nervosam sensibilitatem sunt scrophulis magis proclives. Scrophulosi sexus foeminei sunt ad illos alterius sexus ut 5: 3. secundum computationes, quas exhibuit Pelletier. Caussae autem occasionales sunt quaedam aëris qualitates, ut ille nimium variabilis, impurus, frigidus, humidus, luce parum trajectus; habitationes frigidae, humidae, tenebrosae, immundae; abusus substantiis farinaceis, et leguminosis, ex quibus editur viscosus chylus; panis confectus pravis corruptisque farinis; usus depravati casei; assidui crudarum aquarum haustus. Propter qualitates aëris et prava alimenta et potiones in nonnullis locis endemice scrophula regnat, ut in Alpium et Pyrenaeorum vallibus. Anni etiam tempestates ad excitandam scrophulam contribuere videntur; nam saepe incipit hyeme et vere, aestate et autumno minuitur. In infantibus autem et pueris aliae sunt adnotandae caussae, ut pravum nutricis lac,

unde consumuntur, infirmantur, aciditatibus, et glandularum obstructionibus laborant; aciditates primarum viarum, quae perfectae alimentorum digestioni opponuntur; defectus exercitationis, quae puerorum saluti est apprime necessaria; abusus purgantium, quae corpus maxime enervant; narcotica non solum facultatibus intellectualibus, sed etiam organis digerentibus adversa. Auctores inter caussas externas injurias adnumerant, quamvis difficile est exponere quomodo ab ictu vel a lapsu producatur scrophula. Ab hisce vero accidentalibus caussis mihi videtur illa excitari, quae erat abscondita, et ut evolveretur, aliqua requirebatur opportunitas. Narrât Alibert, ab antibrachio vehementer percusso ortum fuisse scrophulosum tumorem, qui omnibus auxiliis resistens, ad amputationem coegit. A caussis autem contagium omnino excludendum est; nam pluries et inutiliter tam in hominibus, quam in animalibus inoculare scrophulam tentatum est. Pueri scrophulosi saepissime cum sanis vivunt, qui morbum minime contrahunt. Inquit Richerand, in

nosocomio S. Aloysii infantes scrophulosos aliis immisceri, cum quibus recreantur, et victum dividunt, quin ab hisce repetitis contactibus extendatur morbus.

§. 1379. Respectus ad morbi periodos, et symptomatum intensitatem est quod praecipue ad praesagiendum requiritur. Scrophula tarde progreditur, et in sua prima periodo ad partes externas ut plurimum dirigitur; et tum, non omissis diaetae regulis, persaepe periculosa non est. Nihilominus interdum a primis momentis morbi gravitas cognoscitur, et dispositio ad se in alia systemata propagandum, et infaustum omen portendere. Nonnunquam in pueris ab ipso initio mesenterium afficitur, et prompte supervenit funesta consumptio. Interdum morbus parvi momenti videtur; sed sub hac specie dira effecta praeparat. Non raro primi scrophulae aggressus a diuturnis intermissionibus interrompuntur; sed nisi signa perfectae sanationis observentur, et penitus subacta sit scrophulosa constitutio, hisce intermissionibus confidendum non est; nam sub iisdem, aut sub diversis morbus rever-

titur. Saepe aetatis mutatione ab ipsa natura scrophulosa constitutio submittitur; interdum ab arte. Pueri per plures annos scrophula affecti, adveniente pubertate, sponte sanantur; nam major organorum vigor, et incitamentum ad resolvendos glandularum tumores, aliosque morbi effectus potis est. Sic quaedam artis regulae, et variatio climatis interdum felicem habent exitum. Inquit Richerand, aliique, pluribus scrophulosis satis fuisse ex aëre gravi et humido vallium ad illum elasticum et siccum montium transire. Ubi autem nec per naturae, nec per artis opem domatur morbus, utile esse potest conjugium, ut animadvertit Warton. Cognovi revera puellam usque ad annum decimum septimum scrophulosis glandularum tumoribus afflictam, quae paullo post nuptias perfecte convaluit. Hujus vero filii scrophula laborant, quod scrophulam esse morbum haereditarium eo magis confirmat. Cum autem scrophula ad secundam periodum devenerit, magnum affert discrimen, et saepe lethalis est. Corripit enim internas partes, et earum decompositiones incipiunt. Aggreditur crebro

pulmones, et hinc phthisin tuberculosam scrophulosam; aut mesenterium, et hinc tabem mesentericam invehit. Praeterea plures alios graves morbos inducit, ut sunt hydrocephalon, ascites, scirrhi, cancri, ulcera mali moris, mollities et caries ossium, paedarthrocace, spina ventosa, nervorum affectiones. Saeva scrophulae effecta in internis partibus sectionibus cadaverum recluduntur. In pueris enim glandulae mesenterii non solum tumidae, sed ulceribus exsesae; in juvenibus pulmones tuberculis corrupti; in glandulis suppurationes; in visceribus scirrhi et cancri; in ossibus caries.

§. 1380. Nequiequam invenire scrophulae absolutorium remedium tentatum est; sed plura valentissima creduntur, licet circa eorum efficaciam dissentiant auctores. Eadem vero perinde ac morbi forma et symptomata, modo utilia, modo nocua sunt. Cum autem curationis praecepta exponere debeam, posthabita ingenti remediorum farragine, de praecipuis loquar, nec non de circumstantiis in quibus sunt adhibenda, non solum aliena, sed etiam propria experientia fretus.

Vix itaque scrophulosae dispositionis signa cernuntur, statui debet diaetae regimen, et aptiora pharmaca. Victus sit animalis et levis; modicus vini usus; aër siccus, salubris, campestris; habitationes elatae, lucidae, perflabiles; vestes calidae, et siccae; mundities, praesertim cubilium et vestium; aestivo tempore culcitrae crinibus fartae; animi relaxatio; frigoris et humiditatis fuga. Remedia autem sint levia purgantia; absorbentia si extent primarum viarum aciditates; tonica, maxime martialia, si corpus debile est, et circulatio excitanda; quae vitium lympharum emendant, ut lac recens, serum depuratum, succus tussilaginis, nasturtii, beccabungae, graminis, decoctiones dulcamarae; quae promovent secretiones, et praesertim perspirationem, ut frictiones panno laneo vel simplici, vel vaporibns aromaticis imbuto, vel strigili; balnea calida. Laudat Withe balnea frigida, illaque maris praefert. Sed tam generatim loqui non possumus; siquidem distinguendus est virium status. Etenim balneum frigidum utile est, ubi fibris reactio non deest;

sed ubi vires languent, et nimia sit sensibilitas, balneum calidum praeponendum est. Interdum hisce non omissis ejecta fuit scrophula, praesertim dum appetit pubertas. Sed cum scrophulosa dispositio nullo modo fuerit subacta, paullatim incipiunt comparere signa morbi. Tum alia esse debet curatio, qnae radicitus contundit morbum; alia quae symptomata. Utraque internis et externis remediis peragitur. Quae in systema lymphaticum operantur ad eradicandum morbum valentiora sunt, ideoque dicuntur antiscrophulosa. Tamen erunt incerti exitus, nisi aspectus observentur, quibus scrophula se offert, progrediturque. Ut plurimum adest in initio adnotabilis debilitas, potissimum lymphatici systematis, unde curatio a tonicis incipienda videtur; tamen quia per eandem caussam cumulantur gastricae sordes, et evolvuntur vermes, et aciditates, prius danda sunt purgantia, emetica, anthelminthica, absorbentia, deinde quae roborant, maxime systema lymphaticum, et stomachum. Si vero scrophula, ut interdum evenit, irritatione et phlogosi, praesertim oculorum, inci-

piat, modica in primis expedit antiphlogistica methodus, et hirudinum applicatio. Ubi vero morbus purgantia postulat, talia sint, ut debilitatem non augeant, et glandularum tumores resolvant, ut cremor tartari, sal anglicanum, digestivum Sylvii, terra foliata tartari, exiguae doses radicis jalapae, aloes: ubi emetica, quae ventriculi impuritates extrudant, lymphaticum systema incitent, et absorptionem adjuvent; tamen ab his cavendum, si qua irritatio et inflammatio existat, et nimia sit aegrotantium debilitas et sensibilitas; ubi absorbentia, praeferatur magnesia, cui interdum aliquod leve purgans jungi potest: ubi tonica, animadvertere debemus, ne irritationis et phlogoseos signa prodeant. Aliquando amotis morbi caussis; impuritatibus gastricis, aciditatibus, vermibus; restituto, praesertim lymphatico systemati, vigore; discussis glandularum tumoribus; irritationibus et inflammationibus subactis; exsolutis diaetae praeceptis, feliciter abrumpitur morbi cursus. Cum vero hoc non eveniat, ad validiora confugiendum est. Inter haec antimonium aut sulphurum

antimonii , ejusque praeparationes ut sulphur auratum antimonii, vinum antimoniatum Huxam , chermes minerale, aethiops antimonialis, quamvis Cullen aliique usui antimonii opponuntur. Sed si animadvertatur quod antimonium stimulat lymphaticum systema et cutem , ex facili deprehenditur , esse ad resolvendos glandularum tumores , et cutaneas eruptiones , quae scrophulae sistunt familiare symptoma , valentissimum auxilium. Propter vero ejus actionem nunquam adhibendum est ubi adest ad phlogosin aliqua dispositio. Non sine autem negotio distingui potest cum potius antimonium , aut ejus praeparata conveniant. Tamen , ut inquit Hufeland , antimonium videtur esse praeferendum , cum ob nimiam ventriculi sensibilitatem ejus praeparationes nauseam et diarrhoeam possent excitare. Aliud remedium mercurius est, quamvis plures cum Cullen ejus usum respuunt , et alii cum Girtanner de ejus efficacia dubitant. Sed quis ignorat, per mercurium dissolvi glandularum tumores , sanari ulcera , et cutis eruptiones scrophulosae naturae ? Mercurius enim stimulat

lymphaticum systema, et vincit lympharum vitia, maxime densitatem. Indiscriminatim vero usurpari non potest; siquidem non parum nocet ubi extant irritationes; dispositiones ad phthisin, scorbutum, diarrhoeam, haemorrhagias; lenta febris, et colliquationis symptomata. Praeterea mercurii usus non tam diu protrahendus est. Hoc enim remedium stimulat, sed quod inducit incitamentum breve est, et propere in atoniam impingit. Per hanc rationem quidam opinabantur, in illis a mercurio produci scrophulam, qui hac non laborant. Nonnulli autem sunt qui mercurium usque ad salivationem praecipiunt, quod reprobandum est; nam longo usu mercurii et salivatione multum augeretur debilitas. Praeparata autem mercurii ob diversa temperamenta, et aegrotantium conditiones non ex aequo succedunt. Idcirco si unum non juvat, aliud tentandum. Apud nos frequentius calomelanus adhibetur; apud Parisienses mercuriales syrupi, testante Alibert. Praeparationibus autem mercurialibus alia pro diversis indicationibus adjungi possunt, ut tonica, si defectui virium est oc-

currendum ; antimonialia , si perspiratio est promovenda ; narcotica, si nimia sensibilitas compescenda. Nostris vero temporibus ad excutiendos glandularum tumores , ad sananda ulcera , cutaneae scrophulosae affectiones murias barytae celebratur ; sed fama hujusce remedii imminuitur in dies. Vulgo creditur Adair Crawford fuisse primus , qui ejus efficaciam demonstraverit, utpote remedium systematis lymphatici vigorem adaugens. Negat Hufeland hanc tonicam virtutem , et inquit , muriatem barytae diathesin scrophulosam omnino subvertere non posse , nisi amaris copuletur. Pinel eum collocat inter valentiora stimulantia lymphatici systematis. Alii autem contra sentiunt. Inquit Burns contra affectionem glandularum non pollere ; sed interdum scrophulosis ulceribus prodesse , licet addit, parum fidei mereri. Variis modis hoc remedium paratur, sed ut plurimum dimidia drachma solvitur uncia aquae destillatae, et porrigitur haec solutio a tribus , quinque , decem usque ad triginta guttas secundum aetatem. Addi etiam solet aliquis syrupus , maxime pro puerulis.

Sunt auctores qui alia adjungunt, ut in ventriculi infirmitate, et spasmis aromatica, et antispasmodica; in universali debilitate ferrum. Hoc in casu exhibet Hufeland sequentem formulam = R. Muriat. baryt; Muriat. ferr. an. drach. dimid.; Syr. cort. aurant. drach. un. Detur a 20. ad 30. gutt. omni trihorio. Mihi autem videtur aut nunquam muriatem barytae interius esse exhibendum, aut maxima cum cautela. Non solum enim clariss. practici de ejus inefficacia, sed etiam de maximo periculo testantur. Et re quidem vera est venenum, cujus interdum exiguae doses nauseas, vertigines, tremores, ventris egestiones, lapsum virium inducunt. Illustres etiam laudatores murias calcis invenit, posteaquam fuit a Fourcroy propositus, qui in atrophia mesenterica a 12. ad 24. guttas, et etiam pro adultis ad majorem dosim, bonos effectus obtinuit. Hoc inquit Hufeland feliciter usum fuisse, et profert exemplum pueri a longo tempore durissimis glandulis circa collum laborantis, cui omni trihorio triginta guttas solutionis hujusce salis in uncia aquae destillatae administravit. Muriatem

autem calcis magis esse utilem muriate barytae asseverat Wood. Ex adverso alii asserunt nunquam juvisse ; alii esse nocuum , eoque linquendum. Propter haec opposita judicia , et naturam irritantem remedii , tutius mihi videtur ab hoc abstinere. Ex metallis laudatur aurum ; sed de hoc cum Alibert repetam , ut est primum inter illa, sic ultimum inter pharmaca. A quibusdam asseritur , arsenicum juvisse praesertim pro scrophulosis ulceribus. Inficiari non ausim quod a scriptoribus fide dignissimis exponitur , sed solum esse remedium periculo plenum animadvertam. Ab aliis adhibetur hydrocloras aeris ammoniacalis, qui sub nomine liquoris Koechlin cognoscitur. Hic liquor componitur drachma hydrocloratis aeris ammoniacalis , et decem unciis aquae destillatae. Pro pueris a tribus ad decem annos dosis est parvi cochlearis semel in die post praecipuum pastum. Hujusce vero efficacia a plerisque non confirmatur. Metallum vere utile ferrum est , ejusque praeparationes , si adsit fibrarum laxitas, et debilitas. Tamen nocuum est , si extet inflammatoria

dispositio, tussis, pectoris dolores, duritiae ingentes, compactae, immobiles. Administratur ferrum sub forma subtilissimi pulveris; et inter ejus praeparationes flores salis ammoniaci martiales praeminent. Ex vegetabilibus commendantur tonica et adstringentia, praesertim peruvianus cortex. Hoc divinum remedium, quod datur aut sub forma pulveris, aut extracti, aut decoctionis, aut frigidae infusionis, prodest ubi adest adnotabilis debilitas, cum scorbuto complicatio, exulcerationes, abscessus cum copioso pure. Sic cortex salicis, castaneae, radix gentianae, cascarillae, etc. ubi fibrarum debilitati succurrere est. Extollit Hufeland infusionem glandum. Vult glandes dividi in quatuor partes, torrefieri, in pulverem redigi; hinc in aqua infusione facta, haec sumatur instar coffeae, et cui etiam coffea jungitur. Praescribuntur etiam aromatica et stimulantia ubi nulla sit ad phlogosin proclivitas, ut guaiacum, sassafras, sarsaparilla, mezereum, calamus aromaticus, enula campana, etc.; sed parum aut nihil ab his lucrifit, si casus venereae complicationis excipiantur. Cum

autem sedare spasmos, irritationes, nimiam sensibilitatem et irritabilitatem necesse sit, celebratur dulcamara, quippe leviter narcotica, et ad resolvendos glandularum tumores efficax; digitalis purpurea, quae, licet a quibusdam rejicitur, si detur exiguis dosibus, et identidem intermittatur usus, utilis est; cicuta, maxime a Stork laudibus ornata; sic belladonna, hyoscyamus, stramonium. Ad flectendos vero spasmos uti etiam possumus remediis naturae oppositae, ut opio, castoreo, assa foetida, dummodo nulla sit ad phlogosin dispositio, et nullus febrilis motus. Omittendi praeterea non sunt tempore verno succi recentes tussilaginis, nasturtii, beccabungae, cerefolii; et etiam extracta resolventia, ut graminis, taraxaci, saponariae, etc. Insuper alia sunt quae variis indicationibus famulantur, ut ad eximendos tumores glandularum sapo venetus, cujus pauca grana mane et vespere exhibenda pro pueris sufficiunt: spongia usta, quae efficaciter agit in lymphaticum systema et glandulas, et datur sub forma pilularum, aut potionis; sed caute usurpanda est, quia ex

facili promovet tussim et sputum sanguinis, et ad febrem et ad phthisin disponit; eoque est respuenda ubi ad hos morbos extat inclinatio. Plures practici aut ad corrigendas lympharum aciditates, illasque ventriculi, aut ad stimulandum lymphaticum systema adhibere solent alcalina fixa, aut volatilia, ut carbonas sodae, subcarbonas ammoniacae, quae ab aliis recusantur. Revera nimis irritantia sunt, et ideo nunquam concedenda, si ad inflammationem, scorbutum, colliquationem deprehendatur opportunitas. Ubi absorbendae sunt aciditates ventriculi, semper praeferatur magnesia. A quibusdam in curatione scrophulae proponitur acidum sulphuricum, et nitricum; haec vero acida ob eorum proprietates nunquam conveniunt, si dematur casus febris, quae suscitatur a materiis purulentis, et pravae indolis in magnis tumoribus efformatis. Aquae minerales accommodae saepe sunt et salutares, sed pro diversis casibus et temperamentis eligi debent quae magis expediunt, ut ferrugineae pro debilibus; acidulae pro irritabilibus; sulphureae pro temperamentis communibus;

amarae aut salitae, illae scilicet quae continent sulphatem magnesiae, aut hydrochloratem sodae, pro temperamentis lymphaticis. Plures autem post Russel aquam marinam celebrarunt. Praeter interna remedia saepe etiam externa in usum vocanda sunt. Quocirca si morbosae materiae extrahendae sint, opportuna sunt vesicantia, aut cauteria, quae interdum morbi progressum impediunt. Nostris temporibus a pluribus anteponitur moxa. Sed omnia haec non admovenda, nisi necessitate compulsi. Etenim in debilibus pueris, quorum bonis alimentis, et roborantibus sustinere vires necessum est, maxime nocua sunt. Pro multiplicibus autem indicationibus varia balnea locum habent, scilicet ex aqua simplici, aut marina, aut aquis mineralibus, aut substantiis medicinalibus, et etiam diversae temperiei. Plures extollunt balnea frigida, praesertim Cullen, qui inquit scrophulosas aegritudines plus ab ipsis quam a quovis alio auxilio emolumenti trahere. Sed balnea frigida ut juvant in atoniae statu, sic nocent ubi haec atonia maxima est. In debilibus enim in quibus fibrarum reactio non

deest, a balneis frigidis sequitur generalis calor superficiei corporis, appetitus, virium augmentum, spiritus hilaritas; sed in maxime debilibus, quia deficit reactio, omnino perduntur vires, ut a lividis labiis, pallore vultus, tremore, frigore, dolore capitis, sopore deducitur. Praeterea nunquam balnea frigida sunt praecipienda, ubi adsunt catarrhales morbi, affectiones pulmonum, eruptiones cutaneae, obstructiones, duritiae lymphaticae; ubi facies et brachia gracilia et tumidum abdomen. Cum autem in scrophulis persaepe spectabiles sunt lymphaticae duritiae, hinc potius balnea calida quam frigida conducere mihi videntur. Illa tutiora sunt, et ob gratam caloris sensationem acceptissima, quavis anni tempestate, et quovis temperamento convenientia, et etiam absque incommodo diu continuanda. Ubi autem balnea frigida utilia esse possunt, a brevibus immersionibus incipiendum est. Valde etiam juvant balnea mineralia, modo sulphurea, modo ferruginea, modo salina, quae ad dissolvendos glandularum tumores, illosque albos articulationum efficacissima

sunt. Sic balnea maris praeter muriatem sodae, et calcis ob salientes fluctus salutaria. Eodem tempore dari solent exigui haustus aquae marinae, quae ut leve purgans agit. Plura etiam esse possunt artificialia balnea, ut in cutaneas eruptiones parantur sulphure; ad roborandum cortice peruviano, calamo aromatico, sulphate ferri; ad discutiendos glandularum tumores sapone, et cicuta; ad eosdem tumores destruendos et sananda ulcera jodio, hujusque praeparationibus. Parisiis in nosocomio puerorum in aquam labri balnearis pro adultis inditur solutio, quae componitur duabus libris aquae pluviatilis, duabus drachmis jodii, quatuor drachmis jodureti potassii, Dimovetur aqua labri, ut aeque distribuatur solutio. Aeger non minus dimidia, nec plus una hora manere debet in balneo; deinde acquiescat lecto duabus horis, ubi saepe dormit, et modice sudat. Haec balnea per tres hebdomadas continuari solent, et attente animadvertitur, ne eorum temperies nimis elevetur. Calor adauget actionem jodii, quod interdum cutem circa ulcera inflammat. Hisce remediis tam inter-

nis quam externis non raro vincitur scrophula, ejusque symptomata; sed interdum haec resistunt, et alia exposcunt, de quibus breviter dicendum superest.

§. 1381. Glandularum tumores et duritiae sollicite resolvendae sunt, ne in suppurationem transeant, et consequantur ulcera non facile sananda. Praeter igitur exposita interna auxilia, adhiberi debent externa resolventia, ut linimentum volatile; oleum camphoratum; cerata saponis, gummi ammoniaci, cicutae, mercurii, diachylon cum gummi; unguenta de mercurio, digitali purpurea, belladonna, hyoscyamo; cataplasma cicutae; fomenta humida ex aqua vegetominerali, marina, etc. Hujusmodi vero tumores subinde inflammantur, et tum ut resolvantur, applicentur hirudines, et aliquod detur leve purgans. Cum autem rebelles sunt, et colli glandulae ad magnum perveniunt volumen, saepe manu frictiones fiant; unctiones unguento ex drachma tartari emetici, et uncia axungiae porcinae, unde efferuntur pustulae; excitentur partes immissa electricitate, eductis è tumoribus scintillis.

Ex judicio Withe convenit electricitas, cum glandulae ob diutinam moram spectabilem gradum duritiei et insensibilitatis adeptae sunt. Crowther hisce tumoribus vesicantia admovet. Nos potuimus in puero sopitam glandularum colli vitalitatem commovere, earumque duritias aliis obsistentes solvere unctionibus ex sapone veneto in spiritu sacchari Jamaicae soluto. Aliis prospere successit aliquod emunctorium prope affectas partes inustum. Damnosum autem et reprobandus est vetus usus scrophulosos tumores extirpandi; ut et methodus Wiseman glandulas et tumores scrophulosos sine necessitate secandi. Si albi articulationum tumores aperiantur, facile consequuntur profunda ulcera, quae usque ad ossa extenduntur; spongiosae excrescentiae; lenta febris; eoque pro servanda ab exitio vita, ad amputationem membri esset confugiendum. Cum tumores non resolvuntur saepe lentissime ad suppurationem parantur. Subtilior fit cutis, colore rubro-fusco inficitur, flaccescit tumor. Maturanda est haec lenta suppuratio, secus longum duceretur tempus anteaquam tumor

ad perfectam mollitiem perveniret, et exigua apertura dehisceret pellis. Admovenda vero uon sunt cataplasmata, quae debilitant, unde insequerentur ulcera sauatu difficilia; sed ut promoveatur formatio puris, aliquis stimulus. Emolliti tumores aperiantur, et hoc modo facilius dissolvuntur duritiae, et ulcera ad sauationem promptiora. Lanceola praeferenda est caustico, quod ab aliquibus adhibetur. Suppuratio tumorum grandium articulationum profunda est; et illi cum ad maturitatem devenerint, secentur lanceola, licet alii acu triquetra, alii setaceo utuntur. In curatione autem suppurationum et ulcerum pro variis casibus varia expediunt auxilia. Si qua adsit superfluitas mitibus escharoticis est auferenda, ut praecipitato rubro, alumine usto, quod aut spargitur, aut aliquo unguento miscetur. Cum saepe ulcera, quae aut sponte efformantur, aut suppurationibus superveniunt, inertia sint, eorum margines callosi fiunt, et colore rubro; eorumque superficies decolor, solutum pus, et flaccidae excrescentiae surgunt. Idcirco incitandi urget necessitas, quod fit applicitis

linteolis aqua et aceto madidis; lotionibus aromaticis; cataplasmatibus coctae acetosellae, aut ex foliis ipsius recentibus et contusis; aspersione barytae; unguento nitratis mercurii; solutionibus nitratis aeris, argenti, etc. Sed cavendum est ne ulcera nimis extimulentur, secus inflammantur, et dolentia fiunt. Hanc ob caussam haec remedia damnosa esse possunt, ut et fluidum electricum et galvanicum, quod dicitur fuisse utile. Cum vero ulcera exasperentur, cataplasmata cicutae, aut solutio aquosa cicutae, et secundum nonnullos aqua frigida fontis ad irritationem reprimendam auxilio sunt. Ut glandulae subcutaneae in cursu scrophulae tument, sic illae viscerum, praesertim mesenterii, unde atrophia mesenterica nascitur. In hoc casu praeter interna, apta sunt localia, ut ablutiones cum solutione saponis, aqua calcis; frictiones stimulantes; ceratum cicutae et galbani; cataplasma cicutae; unguentum belladonnae, mercurii, etc. Tam in principio, quam in progressione morbi frequenter afficiuntur oculi. Interdum eorum sensibilitas talis est, ut

sustinere non possint lucem. Fugienda ideo est viva lux, et fomenta ex decoctionibus cicutae adhibenda. Interdum inflammantur, et eorum inflammatio varia est. Si acuta, prodest antiphlogistica methodus, si chronica, quam ipsa humorum acrimonia conservat, magis auxiliantur interna, quam externa, quae in collyriis aquae plantaginis, aut rosarum, et in lotionibus cum lacte consistunt. Cum glandulae Meibonianae diu inflammatae permanent, interna palpebrarum superficies vespere inungenda est unguento ex praecipitato rubro, et mane eluatur oculus cum aqua lactucae, aut cum lacte. Saepe etiam comparent rugositates, et eruptiones cutis.; et ideo ad primas remedium est aqua vegeto-mineralis, ad alteras, praeter interna, unguentum ex praecipitato albo, balnea aquae simplicis, aut sulphureae, saponaceae, salinae. Sub longinquo morbo etiam affliguntur ossa, et hinc infrequens non est eorum mollities et caries. Rachitis scrophulosa remediis tonicis generalibus, et localibus curatur. Cum autem emolliuntur vertebrarum corpora, processus spinosi promi-

nent, et medulla comprimitur, alii sectantur methodum Pott, quae consistit in cauteriis et setaceis ad latera processuum spinosorum, et in positu ad horizontem; alii adhibent machinamenta, ut pondus partis superioris abducatur a parte affecta, et super pelvim transferatur. Nos vero arbitramur prorsus esse inutilia cauteria et setacea, ut et machinamenta; et cum aeger pedibus insistere non possit, aptiorem tempore curationis esse positionem ad horizontem. Remedia autem interna et externa tonica sint, inter quae sunt balnea ex cortice peruviano, et quercus parata. Sic pro ossium carie praeter curationem internam, conferunt balnea generalia et partialia sabina, calamo aromatico composita; fotus ex cicuta et hyoscyamo, sublimato corrosivo, etc. Sed pro spinae carie agitatur quaestio circa causticorum usum. Nos autem ultra remedia, quae magis idonea videntur, prolixam diaetam lacteam, et ad horizontem positum opitulari censemus.

Bronchocele.

§. 1382. Bronchocele est lentus tumor et indolens, cutis concolor glandulae thyroideae, aut cellulosi textus hanc circumcingentis, modo mollis et elasticus, modo durus, variae formae et magnitudinis, saepe maximae et monstrificae. Ab antiquissimis temporibus plura nomina huic morbo fuerunt indita, plus minusve incongrua. Ab Hippocr., lib. VI. Epidem. fuit vocatus γογγρώνη, gongrona, a rotundis tuberculis et eminentiis, quae sunt in arborum truncis, graece γόγγροι. Vulgo vero tumor in parte anteriore colli dictus fuit βρογχοκήλη, bronchocele. Posteriori autem aevo appellabatur botium, tracheocele, guttur tumidum, tracheophyma, deironcus, et tandem a P. Franch thyreophyma, et ab ejus filio, aliisque struma, et ab Alibert thyrophraxia. Nullum ex his nominibus exprimit vere morbum, de quo agimus; eoque communius retinendum est,

scilicet bronchocele, licet hoc componant voces, quae herniam asperae arteriae significant.

§. 1383. Bronchocele est sporadica, endemica, haereditaria, simplex, complicata. Sporadica nascitur a caussis particularibus; endemica a communibus alicujus loci; haereditaria a parentibus, modo spectabilis in ipso nativitatis momento, modo post aliquod menses; simplex non alio morbo composita; complicata, frequens ubi endemica est, aliis affectionibus conjungitur, maxime scrophulae, et cretenismo, nempe fatuitati Alpinae. Ut plurimum bronchocele a stagnatione lymphatici et viscosi laticis in glandula thyroidea, et celluloso textu, qui eam cingit, constituitur; et interdum ab aliis materiis; unde a Nosologis statutae fuerunt species. Vocatur bronchocele lymphatica, si in cellulis glandulae thyroideae stagnet lympha, nunc limpida et soluta, nunc densa, et glutinosa: hydatica, si ortum habeat ab hydatidibus: emphysematica, si ab aëre in telam cellulosam thyroideae diffuso, qui non ita pridem inductus credebatur per efflctos ca-

naliculos excretores ad transvehendam lympham in tracheam a natura dicatos, ne illius interna pars per continuum ingressum et egressum aëris arescat et siccessat: sanguinea, si a repressis exiuanitionibus sanguineis, aut a violentis conatibus, ex quibus dilatantur sanguinea vasa et sanguis per telam cellulosam diffunditur: sic sarcomatosa, steatomatosa, cartilaginea, ossea, perinde est materia qua extruitur.

§. 1384. Plerumque bronchocele occupat thyroideam; interdum etiam textum cellulosum; interdum hunc solum, immune manente glandula. Cum hanc totam obsidet, aut efformat rotundum tumorem; aut fere est in tres tumores divisa. Cum vero unam glandulae partem tenet, nunquam tumor ad tantam magnitudinem devenit. Credit Alibert, se fuisse primum, qui observaverit, inter duos thyroideae lobos, dextrum saepius ac sinistrum affici. Cum vero uterque lobus detinetur, unus plus quam alter intumescit. Ubi bronchocele in colli textu celluloso sedet, ingens augmentum assequi potest;

sed ubi in hoc textu et in thyroidea magnitudinem portentosam.

§. 1385. Bronchocele, quae comparet ab octavo ad duodecimum annum, et etiam citius, ubi haereditaria est, per aliquot annos lente crescit, dein celeriter ampliatur. Subinde vero ab ipso initio rapidum est augmentum. Cum in uno thyroideae lobo figitur, aut rotundus, aut oblongus tumor efformatur, qui interdum non valde extenditur, interdum ante arteriam carotidem producitur, et quia ab ejus pulsationibus commovetur, aneurysma simulat. Cum autem thyroidea et cellulosus textus implicantur, protuberat tumor ad colli latera, et ad partem anteriorem, sese ultra mentum protendens, et supra pectus pendens. Ut plurimum inter initia hic tumor est exiguus, mollis, spongiosus, elasticus, indolens, cutis concolor, et non refert nisi deformitatem; mox vero gliscit, fit durus, venae subcutaneae inflantur. Ita auctus et durior, laryngem, asperam arteriam, venas jugulares, colli glandulas, et interdum oesophagum comprimit; eoque vox rauca et ingrata fit; haud

prompta loquela; laboriosa respiratio, praesertim ascendendo; glandulae colli, et venae jugulares tumefiunt, et interdum laeditur deglutitio; pulsus evadunt irregulares, intermittentes; palpitat cor, et cum sanguis a capite descendens obstaculum oppetat, vultus rubet, livet, tumet; superveniunt haemorrhagiae è naribus, vertigines, sopor, apoplexia. Haec sunt generalia foenomena; sed etiam peculiaria adnotentur, quae, licet non semper perspicua, varias indicant morbi species. Bronchocele ex. gr. lymphatica distinguitur a tumore molli, inaequali, ad se supra modum adaugendum apto: ab iisdem characteribus hydatica, sed humor tamquam in cystidibus contineri videtur; sanguinea a rubore, tensione, dolore, et venarum turgore; emphysematica, a tumore elastico, pressione crepitanti. Bronchocele endemica extendi vel extenuari potest prout est atmosphaerae qualitas, quod non evenit dum sporadica est. Inquit Foderè endemicam imminui et evanescere sub frigida et sicca atmosphaera, iterum sub calida et humida comparere. Saepe etiam haec con-

jungitur cretenismo. Hinc a quibusdam alpina fatuitas illi tribuitur, inter quos est idem Foderè. Sed in regionibus cretenismi plurimi sunt a nativitate imbecilles, quin bronchocele laborent; et ex adverso plurimi sunt bronchocele affecti, quin fatui sint.

§. 1386. Bronchocele plures transitus et degenerationes subit. Interdum inflammatur, aut sponte, aut ab aliqua externa injuria. Si inflammatio vehemens sit, vehementia etiam symptomata sunt, ut rubor, calor, dolor, tensio, febris, vivida arteriarum pulsatio, venarum turgor, difficilis respiratio et deglutitio, facies tumida et rubra. Sed ut plurimum inflammatio lenta est, nec tam vehementia symptomata. Interdum bronchocele abit in suppurationem, in scirrhum, in cancrum, et tum dolores lancinantes torquent, et venae varicosae sunt. Etiam in gangraenam degenerat, ut in matre familias, quae inde mortua est, observavit Alibert. Haec vero degeneratio rara quidem est, ut et rara in substantiam fungosam, de qua loquitur Boyer.

§. 1387. Bronchocele cum scrophula minime confundenda est; siquidem illa est localis affectio, haec non solum glandulas lymphaticas, sed etiam textum cellulosum, musculos, ligamenta, cartilagines, et ossa implicat. Si bronchocele in illis occurrit, qui scrophula laborant, aut ab hac non dependet, aut est hujus symptoma. Sic confundi non debet cum hernia tracheali, quae nascitur a membranarum tracheae laxitate, et a tumore cognoscitur, qui inferius inter unum et alterum tracheae anulum apparet, et est mollis, indolens, praesertim respiratione obvius. Etiam miscenda non est cum pinguedine, aut cysticis tumoribus, qui non raro partem adversam colli occupant; aut cum tumentibus glandulis colli ipsius, quae in diversis punctis tumores resistentes offerunt; dum bronchocele, quae latera thyroidis obsidet, tumorem cedentem et uniformem ostentat. Diximus, interdum bronchocelen super carotides extensam simulare aneurysma. Ne decipiamur, animadvertendum est, quod pulsationes aneurysmatis proveniunt a sacco aneurysmatico,

et pulsationes percipiuntur in quovis capitis positu; aneurysma carotidis ut plurimum in uno latere deprehenditur, nec in laryngis motibus situm mutat; sed pulsationes in bronchocele ab elevatione tumoris sub carotidis diastole producuntur; hae pulsationes imminuuntur aut cessant, cum tumor a carotide recedit, ut dum caput ante flectitur, aut ad tumoris latus; bronchocele plerumque extat ad colli latera, et motus sequitur laryngis.

§. 1388. Cadaverum sectiones quod diximus de morbi sede, et de varia materia quae tumorem constituit, satis confirmant. Subinde glandula thyroidea objicit augmentum voluminis, et nullam substantiae mutationem; saepe haec glandula lymphatico humore aut soluto, aut denso infarcta reperitur; etiam in ipsa offenduntur cystides humore viscoso, oleagineo, puriformi repletae; hydatides; laxatae cellulae variisque materiis foetae, ut serosa, albuminosa, mellea, viscosa, caseosa, lardacea, sanguinea; lapideae concretiones; et glandulae ipsius substantia dura, sarcomatosa, steatomatosa,

scirrhosa, cartilaginea, ossea. Inquit Haller Elem. physiolog. Tom. 3. pag. 265. = Vidi in glandula thyroidea cystides, etiam cartilagineo velamento firmatas, et effusum sabulum, alias ossea concrementa in glandula dispersa, partemque glandulae in pinguis lardi speciem degenerem. = Interdum externa superficies thyroideae fere a capsula cartilaginea et ossea tegitur. Subinde in cerebro et in pulmonibus impeditae circulationis sanguinis effecta patent. Ill. meus praeceptor Jos. Flajani pulmonem ab hac caussa tuberculari labe infectum observavit.

§. 1389. Caussa proxima bronchoceles ignota est; idque ab inscitia fabricae et usus thyroideae, et ab obscura ratione qua caussae morbosae operantur. Solum examen remediorum, quae bronchocelen resolvunt, et caussarum, quae eam frequentius inferunt, suspicionem injicit, hanc caussam ut plurimum esse thyroideae et textus cellulosi atoniam, et aliquando nimium vigorem, et auctum sanguinis affluxum, ut symptomata declarant. Caussae praedisponentes sunt origo a parentibus bronchocele affectis, quod

praesertim observatur ubi morbus endemicus est; temperamentum laxum et lymphaticum, quod etiam ad volumen tumoris contribuit, siquidem non solum glandula thyroidea, sed etiam textus cellulosus colli facile infarcitur, dum in temperamentis sanguineis non solum rarior est bronchocele, sed etiam minor, et in glandula thyroidea circumscribitur; aetas puerilis et juvenilis, qua thyroidea major est quam aetate adulta, colli ratione habita; sexus, siquidem mulieres frequentius hominibus bronchocele laborant, et propter debilem constitutionem, et propter thyroideam molliorem, laxiorem, et aliquantum ampliorem, ut loc. cit. pag. 261. ita se exprimit Haller = Perampla infanti potissimum, foeminisque aliquanto vastior = Praeterea conceptio et graviditas, quaecunque sit ratio, ad bronchocelen disponit. Etiam menstruationis ingressus, per illam mutationem quae in universo systemate contingit, huic morbo foeminas praeparare videtur. Pluries in virginibus tam in menstruationis initio, quam in consueto reditu bronchocelen produci, sed fugacem et

instabilem observavimus. Disputatur inter pathologos circa caussas excitantes bronchoceles, praesertim endemicae, ut illa est Alpium, Apenninorum, Pyrenaeorum, Helvetiorum, Tyrolis, aliarumque Angliae, Russiae, et Americae septemtrionalis regionum. Alii insimulant aquas niveas, vel impuras, sulphate calcareo, et argilla refertas; alii alimenta cruda, crassa, salita, fumo durata; alii climatis et locorum naturam. Sed in plurimis regionibus hauriuntur aquae quae proveniunt a dissolutione nivis, aut particulis mineralibus repletae, vel prava alimenta consumuntur, tamen non cognoscitur bronchocele. Potius igitur videtur, complexus caussarum, maxime natura climatis et locorum hunc inducendi morbum vim habere. Hisce addi potest ascensus in montes, gestatio ponderum super caput, assidui nisus et labores. Bronchocele autem sporadica a pluribus caussis oriri videtur, ut sunt ictus, lapsus, conamina partus, acutus cantus, violenta tussis, risus, fletus, etc. Accessiones hystericae saepe fugacem bronchocelen inferunt; sed

si hujusmodi accessiones nimis frequentes sunt, stabilis fieri potest. Praeterea sunt caussae quae hanc vel illam speciem producunt; ut bronchocele sanguinea nascitur a caussis ex quibus arteriae et venae thyroideae et cellulosi textus sanguine implentur et dilatantur, et sanguis de propriis vasis exsilit, ut sunt suppressio menstruorum, fluxus haemorrhoidalis, graviditas, vehementes conatus; emphysematica a caussis emphysematis ut a validis conaminibus, acuto cantu, inflatione instrumentorum. Quomodo autem bronchocele diverse degeneret, hos omnino latet, si excipiantur casus in quibus causa sit praepostera curatio.

§. 1390. Sporadica bronchocele juvenili aetate, recens, et perfectissime curata, resolvi potest. Interdum per naturae vires, per aliquam supervenientem aegritudinem, ut hydrocelen, ventris fluxum, per aliquod animi pathema, ut terrorem, discutitur. Majori difficultate curatur endemica, et ubi remediis vincitur, facile regreditur. Rebellis est morbus, si neglectus, vetustus, et provecta aetate contingat. Facilius dissolvitur, si

in volumine aucto thyroideae, absque mutatione substantiae consistere videatur; difficilius si sedeat in media parte glandulae, quam in lobis lateralibus; difficillime, si non solum substantiam glandulae, sed etiam textum cellulosum colli possideat. Ubi volumen bronchoceles exiguum est, considerari potius debet ut deformitas, quam ut morbosa affectio; sed dum volumen est ingens, periculosa et lethalia symptomata saepe consurgunt, ut anhelitus, deglutitio praepedita, suffocatio, vertigines, sopor, apoplexia. Si autem praeter tam magnum volumen, tumor sit durus, et aeger triginta annos superaverit, quaevis curatio inanis est, et forsan periculosa. Transactis temporibus a vetusta et discussa bronchocele gravia mala timebant practici, ut Nosolog. Method. Tom. I. pag. 157. ita adnotat Sauvages = Licet hic morbus hominem deturpet, vocem ejus laedat, mentem hebetet, dyspnoeamque creet, pauci sunt, qui cum medicamentis aut ferro aggrediantur, ne discusso tumores graves pectoris morbi, ut tussis, asthma succedant, imo phthisis, nisi tamen affe-

ctus recens fuerit, qui solus tuto potest curari = Id non sine aliqua ratione videtur. Illa enim materies quae in amplam thyroideam et textum cellulosum convenit, potest in internas pectoris partes transferri, et pluribus morbis originem praebere. Inter exitus bronchoceles ob gravia symptomata inflammatio alea plena est; ut et suppuratio propter thyroideae situm, vasorum quantitatem, et ejusdem glandulae fistulam. Cum autem suppuratio est in parte posteriore thyroideae, corrosio laryngis et tracheae timenda est, et in eam puris effusio, proindeque suffocatio. Cum vero materies exteriorem sibi aperit viam, subsequi potest haemorrhagia. Tamen interdum per suppurationem dissolutus fuit morbus sicut aqud scriptores inveniuntur exempla. Cum bronchocele scirrhosa fit, interdum infaustis symptomatis non stipatur, et sibi relicta non enecat; contra si gravia sint symptomata; eoque ob imminens vitae discrimen ad periculosissimam operationem extirpationis thyroideae nonnulli devenerunt, quae interdum, ut perhibetur, felicem habuit

exitum. Denique degeneratio sarcomatosa insanabilis est; cancerosa lethalis.

§. 1391. Prima indicatio est hujusce morbi resolutio, quae remediis forinsecus et intrinsecus adhibitis tentatur. Et dum resolutio non obtinetur saepe ad auxilia chirurgica confugiendum est. Anteaquam efficacissimum ad resolutionem remedium esset repertum, nempe spongia marina calcinata, pro interno usu remediorum ut plurimum resolventium, et adstringentium proponebatur farrago, quorum plura etiam in scrophulam laudabantur, ut tussilago, dulcamara, saponaria, ovi putamina calcinata, sapo, cineres panni coccinei, gallae, alumen, acetum scilliticum, solea calceorum torrefacta, praeparationes mercuriales, antimoniales, martiales, aquae minerales, praesertim sulphurosae, aqua maris, sulphas potassae, murias barytae, murias calcis, et alia plurima. Haec modo separatim, modo conjunctim porrigebantur, et adhuc porriguntur. Inquit De-Haen, curari bronchocelen pulvere composito floribus zinci, ovi putaminibus, panno coccineo, insimul in clauso

crucibulo calcinatis. Hic pulvis etiam ab aliis utilis fuisse dicitur. Asserit Alibert, Parisiis vulgo adhiberi pilulas sapone medicinali, cremore tartari, et aethiope martiali compositas. Hodie vero frequentius usurpatur spongia marina calcinata, praesertim aliis remediis juncta. Communiter parantur tabellae ex granis viginti spongiae calcinatae et decem nitri cum mucilagine, quae ponuntur sub lingua, ut lente dissolvantur. Dicitur hisce intra paucos menses discuti bronchocele. Celebrantur etiam pulveres Prosser, quae, praemissa purgatione salina, aliqua hora post jentaculum, aut sex horis post prandium sumuntur. Constant granis quindecim cinnabaris antim. opt. levig., et totidem millepedum praepar. et pulv., dimidio scrupulo spongiae calcinatae. Per duas aut tres hebdomadas cum pauco syrupo deglutiuntur; mox per octo aut novem dies relinquuntur; hinc resumuntur. In cursu hujus curationis purgatur pilulis mercurio, extracto colocynthidos, et rhabarbaro compositis. Celebris est methodus Wylie, Med. Imperatoris Russiae, quae consistit 1.° in

administratione pulveris confecti tribus granis mercurii dulcis, totidem muriatis ferri ammoniacalis, quatuor granis spongiae calcinatae, decem granis corticis lauri cassiae. Factis duodecim dosibus, detur una bis in hebdomada, et additur leve paregoricum ad noctem: 2.° proponitur compositio pro viginti quatuor trochiscis, quae fit conterendo unciam spongiae calcinatae, aequalem dosim gummi arabici, quindecim granis cinnamomi pulv. cum suffic. quant. syrupi aurantiorum. Unus quotidie dissolvatur in ore, donec deglutiatur: 3.° denique ad promovendum harum praeparationum effectum, admovetur pectori ceratum dimidia uncia lithargyrii, drachma mercurii dulcis, decem granis tartari emetici compositum. Altera methodus est illa Hufeland, quae prius continetur purgatione, deinde mane et vespere pulveris usu praeparati dimidia drachma spongiae calcinatae, ovi putaminibus, dimidio scrupulo aethiopis mineralis, scrupulo olei saccharini anisi. Ex auctoris judicio tempus opportunius ad hanc curationem est, decrescente luna. Praeterea omni octa-

va die ipse purgationem exhibet ex mercurio dulci; vult tegi collum cum lana subtiliter texta, et partem affectam mane et vespere linimento camphorato, et interdum adipe leporis fricari. Cum vero aeger est debilis, maximeque sensibilis, lixivium spongiae praefert. Si forte spongia inefficax sit, ad muriatem barytae confugit. Subinde Postiglione spongiam calcinatam et in pulverem redactam, et cinnamomum cum muriate calcis jungit, et componit bolum in ore usque ad dissolutionem servandum; cum subtili panno laneo, aut aliquo unguento frictiones praecipit; et interdnm purgationem ex calomelano. Plures aliae sunt auctorum formulae, quas nimis longum et supervacaneum esset recensere. Animadvertere vero non linquo, quod si spongia calcinata adjungatur mercurio, inutilis est purgatio. Etiam animadverto, quod spongia calcinata aliorum remediorum connubio non indiget. Ut plurimum eam simplicem interius et exterius adhibeo, quamvis non raro pro usu externo jodium adnecto. Tronchiscos paucis granis spongiae calcinatae cum aliquo syrupo praeparo, bis de

die in ore retinendos, donec dissolvantur; idque per aliquot hebdomadas: mox dosim remedii prout est aetas, variique casus adaugeo: identidem purgationem ex calomelano exhibeo, et non raro diuretica, praesertim scillitica, quo, si materia absorbeatur, facilius eliminetur. Cautim vero spongia usurpanda est; nam ejus actio adeo est exstimulans, ut illis nocere possit, qui sunt debiles, irritabiles, nimia stomachi sensibilitate laborantes, ad phthisin dispositi. In ambiguo tutius est remedio exterius uti, ut appetitus depravatio, ventriculi spasmi, sputum sanguinis, et consumptio devitentur.

§. 1392. Posteaquam in spongia calcinata Tife adinvenit, feliciterque adhibuit jodium, putatum est hoc principium solvere bronchocelen; et hinc variae ejus praeparationes in internum et externum usum fuerunt vocatae. Coindet, qui etiam notas fecit virtutes medicinales jodii, ejusque praeparationum, ut post ipsum Gosse, Brera, Hildebrand, aliique plures, elegit hydriodatem potassae. Quadraginta et octo grana

hujusce salis deliquescentis in uncia aquae destillatae triginta sex circiter granis jodii respondent. Praeparatum vero Coindet familiare est tinctura jodii, quae in uncia spiritus vini ad gradum 35. quadraginta et octo grana jodii continet soluta. Pro adultis ter de die hujus dantur decem guttae in dimidio cyatho aquae cum syrupo capilli veneris. Prima dosis suppeditatur mane et jejune; secunda decima diei hora; tertia vespere, cum aeger lectum petit. Ad finem primae hebdomadis unaquaeque dosis augetur ad guttas quindecim; et post aliquot dies ad guttas viginti, et raro amplius. Coindet ad confirmandam jodii virtutem non aliis remediis usum esse asserit. Alii vero hoc suspectum habent, et inquinnt tutius esse extrinsecus adhibitum, praesertim pro frictionibns. Experientia vero edocemur, tuto suppeditari posse, sed considerate, ne offendantur digestionis organa. Si autem post aliquod temporis spatium aut spongia usta, aut aliqua jodii praeparatio nullum producat effectum, aut usus intermittendus, aut omnino linquendus est.

§. 1393. Cum bronchocele resolutu apta sit, plura etiam conferunt externa. Relictis igitur absurdis, ut applicatione bufonis, manus cadaveris, sauguinis menstrui, etc., quae ad illam resolvendam nullam habent vim, et ubi forte juverint, per imaginationem et terrorem contigit, sicut testantur auctores, illa vere proficua exponemus. In primis collum tegendum est, et a frigore defendendum, quod externorum et internorum remediorum actioni favet. Burns, aliique plurimi super tumorem longas et continuas frictiones praecipiunt. Praeterea celebrantur emplastra resolventia, unguentum mercuriale, linimentum volatile, oleum camphoratum, acetum scilliticum, fel bovillum cum oleo et sale, aqua marina, solutio sacchari saturni, electricitas, etc. Quidam proponunt vesicans supra tumorem, quod Flajani valde utile reperiit. Parisiis pharmacopolae substantiis adstringentibus componunt collaria, testante Alibert. Nos autem spongia usta et jodio spectabiles bronchoceles discutere potuimus. Paratur unguentum ex duabus unciis adipis, duabus drachmis spongiae ustae,

sex aut octo granis jodii. Tertia hujus pars super linteum, aut mollem pellem diffusa per quinque noctes admovetur tumori, et sic deinceps aliae partes. Secundum autem necessitatem spongiae ustae et jodii augetur dosis. Hoc externum remedium praeferendum internis est, cum aeger est nimis debilis et sensibilis, aetas puerilis, et mulieres foetum gerunt. Pro variis autem morbi speciebus alia possunt remedia conducere, ut pro bronchocele emphysematica, tonica et spirituosa, et emplastra carminativa; pro sanguinea, hirudines. Sed veniamus ad chirurgica auxilia, quae saepe necessaria sunt.

§. 1394. Cum inflammatur bronchocele praeter stimulorum fugam, et tenuem victum, opportuna est venae sectio, et hirudinum applicatio; sed interdum non resolvitur, et ad suppurationem disponitur. Tum fotus et cataplasmata emollientia juvant; et cum tumor ad maturationem pervenerit, longitudinali incisione ad partem illius magis declivem puri exitus dandus est; deinde ita applicatur fascia comprimens, ut aër non

penetret, et pus non stagnet. Subinde suppuratio admodum lenta est, et tum aliquod stimulans emollientibus additur, ut excitetur suppurationis processus. Sensim subtilior evadit cutis, et ubi sponte non aperitur, lanceola fit incisio in decliviori loco. Si nimis tenax humor libere non exeat, aliqua diluens injectio habere potest locum. Si vero ulcera remediis obstant, et fistula timeri potest, aliqua fiat injectio leviter irritans et detergens. Cum bronchocele non offert nisi tumorem mollem, amplum, humore plenum, qui non densatur, observatum est, fonticulis hunc tumorem imminui. Interdum tam ingens est moles et duritia tumoris, ut intermineture vitam; eoque ad removendum periculum plures omni aevo excogitatae fuerunt rationes. Celsus, et postea alii proposuerunt causticum, quod licet subinde prospere successit, fere semper ejus actio maximum affert dolorem et discrimen. Ad evertendam enim tam duram bronchocelen pluries necesse esset admovere causticum, quod acerbum dolorem et irritationem produceret, et hinc cancerosa degeneratio, et ob magnorum, va-

sorum destructionem haemorragia subsequeretur. Alia methodus est incisionis, quae proponitur dum tumor est fluctuans et mollis; et ut talis citius fiat, priusquam incidatur, apponuntur cataplasmata. Sed etiam incisio, ut animadvertit Flajani Tom. 3. observ. 67. 68., diutinae curationis est, et valde periculosa. Forsan punctio acu triquetra minus funestis accidentibus obnoxia est. Alea vero augetur, si mox cum spiritu vini injectiones fiant, ut inflammatio adhaerescens promoveatur. Alia ratio est illa setacei, praesertim si bronchocele cystica sit. Inquit cit. Flajani, hanc esse minus aliis periculosam, et ad radicalem curationem posse conducere, ut ipsemet observavit. Sed ubi tumor nimis sit ingens et durus, non solum setaceum non erit proficuum, sed etiam damnosum; siquidem ad degenerationem cancerosam disponere potest. Ergo adhibendum erit cum tumor sit mollis, fluctuans, pellucidus, et cum è solido mollis factus sit. Alia methodus est extirpatio, etiam a Celso proposita, quae difficillime persolvitur, et est discrimine plena. Rarissime felicem habuit exitum, et

forsan, ut observat Rullier aliique, cum tumor fuerit exiguus, et ad unam partem glandulae thyroideae circumscriptus. Cum igitur volumen admodum est exstensum, operatio ex qua certe mors sequeretur, inutilis est. Inter enim tot nervos et vasa, quomodo spasmi, dolores, haemorrhagiae, et partium subjectarum et propinquarum injuriae possunt evitari? Quocirca nostris temporibus cum tumor tantam attigerit amplitudinem, et instet vitae periculum, quoniam ille tumor imminui debet, si affluxus sanguinis imminuatur, utriusque arteriae thyroideae superioris, aut unius tantum, excogitata, et feliciter, ut dicitur, peracta ligatura. Praeterea non solum arterias thyroideas superiores, sed etiam inferiores ligare tentatum est. Arbitror vero parum ab hisce operationibus sperandum esse; et forsan aliquis rarissimus casus feliciter evenit, cum solum filo ligatae fuerunt arteriae thyroideae superiores, quae minus profunde descendunt.

GENUS SEXTUM

Scorbutus

§. 1395. A male olenti spiritu, tumentibus et flaccidis gingivis, ex quibus facile egreditur sanguis, vacillantibus et labantibus dentibus, musculorum debilitate, maculis violaceis lividis per corporis superficiem dispersis, ulceribus flaccescentibus fungosis, doloribus articularibus scorbutus distinguitur. Hic morbus primarius rarissimus est apud nos; et ego semel tantum in nosocomio S. Spiritus hominem quadragenarium vidi, cujus facies semirosa a scorbutica et gangraenosa putredine. Absque igitur ratione plures scorbutum judicant a solo foetenti halitu, et ab aliquo vitio, et gingivarum erosione. Inquit Roncalli lib. Europae Medicinae an. 1747. Brixiae impresso = Non enim adeo nostris hic oris frequens. Stomachum movent aliqui vulgares practici, qui illico ac vident aliquam in gingivis abrasionem, vel laesiunculam, illico scorbu-

tum clamant, et consanguineos totamque domum subvertunt. = Scorbutus vero familiaris est apud populos septemtrionales, nautas, et insalubrium regionum habitatores. Rarior erat vetustis temporibus, sed non ignotus, ut deducitur ab Hippocratis libris, aliorumque veterum. Morbus, quem Plinius lib. 25. histor. natur. Cap. 3. stomacacem et sceletyrbem vocat, scorbutus est, cui haec imponebantur nomina symptomatum caussa, vel in ore vel in tibiis comparentium. Sed ante Plinium haec usurpabantur nomina, ut apud Strabonem circa finem lib. 6. geographiae. Hic imperante Augusto vivens sic vocavit morbum in exercitu Aelii Galli surrectum, et ipsius Imperatoris jussu in Arabiam conducto. Scorbuti vox non est latinae originis, sed absque dubio a gentium septemtrionalium idiomate desumpta, inter quas ut diximus scorbutus communis est. Et quoniam hic morbus plurimas symptomatum varietates ostentat, dictus etiam fuit πολύμορφος.

§. 1396. Transactis temporibus multifariam dividebatur scorbutus, nempe in calidum, et frigidum; in acidum, et alcha-

linum; in occultum, et manifestum; in malignum, et benignum; in accidentalem, et constitutionalem. Hodie vero dividitur in terrestrem, et marinum. Cum autem non alia extet differentia nisi in gradu, terrestris et marinus non mihi videntur species, sed potius scorbuti varietates, quarum tamen characteres accurate adnotandi sunt. Sic etiam non sunt scorbuti species, quae ob aliquod symptoma a Nosologis statuuntur, ut scorbutus lividus magnis vibicibus distinctus; petechialis maculis pecicularum similibus; pallidus pallida phlegmatia; ruber colore rubro cutis; etc. Nos itaque aliis relictis divisionibus scorbutum in primarium, symptomaticum, et secundarium tribuimus. Primarius vero esse potest epidemicus, endemicus, sporadicus; simplex, et complicatus. Praeterea plerique practici tres periodos, sive stadia in scorbuti cursu distinxerunt, et in unaquaque periodo designarunt symptomata. Hujusmodi vero regularitas non semper deprehenditur, siquidem interdum in primo stadio insurgunt secundi, et tertii stadii pathemata; sed quia ut plurimum morbus in-

cipit a mitioribus, et deinde transilit ad graviora, haec stadiorum divisio tenenda mihi videtur.

§. 1397. Aggreditur prima scorbuti periodus infirmitate virium, moerore, lassitudine, propensione ad quietem, praecordiorum oppressione, tumida et pallida facie, labiis viridescentibus, gingivis atro-rubris mollibus spongiosis flaccidis sanguinolentis exulceratis, spiritu foetido, tremore dentium, a quovis motu palpitationibus cordis, anxia respiratione, doloribus vagis musculorum, cutis maculis rubris lividis nigris, quarum aliae lenticulares, aliae irregulares et plus vel minus latae, raro in facie deprehendendae, sed saepe in extremitatibus superioribus et in trunco, saepissime in extremitatibus inferioribus, in quibus propter minorem vitalitatem principalia scorbuti foenomena contingunt, ut tumor, gravitas, immobilitas, ulcera, gangraenae. In hac prima periodo ut plurimum pulsus est aequalis sed debilis, et haec debilitas crescit quantum morbus ipse crescit; saepe urina sedimentosa est, ejusque sedimentum album,

furfuraceum, arenosum; sanguis si extrahatur est saepe ater et seri viridis magnam quantitatem separat, sed interdum densatur et paucum serum secernitur. Cum haec symptomata gliscant, et alia addantur, morbus transit ad secundam periodum. In hac pulsus fit debilior, et saepe inaequalis intermittens; membra tument, et urina praeparca redditur; molestat in abdomine constrictionis sensus, et dolores aberrantes, maxime noctu, qui non solum externas, sed etiam internas partes adoriuntur, ut pleuram, stomachum, intestina, renes, vesicam, etc; tendines flexorum tibiae rigent, eamque versus femora retrahunt; non modo è gingivis, sed etiam ex naribus, pulmonibus, intestinis, urinarum viis haemorrhagiae, et saepe in ossibus et in musculis scorbuticae sanguinis effusiones. Sugillationes, in hac periodo tam frequentes, sunt ut inqnit Richerand subcutaneae haemorrhagiae species. Interdum uberrima salivatio est. Magis vitiantur gingivae, et gangraenosae fiunt; cariosi evadunt dentes, et labuntur; ulcera superveniunt, maxime in cruribus. Scorbutica

ulcera sunt nigricantia, fungosa, foetida, parum dolentia, et continue ab eorum superficie excedit sanguis, putrida et sanguinolenta sanies. Ciborum desiderium, et intellectuales facultates adhuc vigent. Denique accedit tertia et vere lamentabilis periodus. Pulsus est exilis, macies extrema, haemorrhagiae propter dissolutionem sanguinis lethales, respiratio laboriosa, vomitus, foetidae dejectiones, diarrhoea, dysenteria, icterus, urina parca foetens oleaginea et salinis crystallis conspersa, stranguria, tremor, paralysis, hydrops pectoris et abdominis, innumerae peticulae, febricula cum colliquativis sudoribus, lipothymiae frequentes, gangraena viscerum et externarum partium, sanguis solutus niger a pluribus locis erumpens et nullo modo cohibendus; denique post tot perpessu difficilia tormenta novissimum aegri spiritum effundunt.

§. 1398. Hactenus exposita signa tam scorbuti terrestris, quam marini propria sunt; tamen observandum est in quo consistat differentia, quae inter utrumque intercedit. In terrestri scorbuto plerumque

symptomata incipiunt ab ore, ut halitus foetor, turgentes et flaccescentes gingivae ex quibus facile egreditur sanguis, nausea, fastidium cibi, maxime animalis; deinde in aliis partibus comparent, ut artuum dolores, maculae atrae et violaceae cutis, facies plumbea, livida labia, debilitas, haemorrhagiae, urinae foetidae, febricula, diarrhoea, dysenteria, colliquativi sudores, etc. Terrestris scorbutus est saepe symptomaticus, aut secundarius, ut febrium intermittentium, obstructionum viscerum, praesertim lienis, de quo mihi videtur Hippocrates loqui de internis affect. xxxiv; et etiam aliis morbis compositus. Scorbutus autem marinus a generalibus symptomatibus exorditur, et citius evadit epidemicus et contagiosus. Anteaquam igitur manifestentur oris vitia, dolores articulares aggrediuntur, erumpunt maculae super cutem, frequentia sunt animi deliquia, superveniunt deliria, febris, diarrhoeae, dysenteriae, effraenae haemorrhagiae. Ex quibus patet, scorbutum maris terrestris esse graviorem; et omnes conveniunt, quod ad eum graviorem red-

dendum plures concurrunt caussae, de quibus sermonem habebimus. Hic scorbutus saepe complicatur cum febribus nervosis, inter quas febrem luteam recensendam esse arbitror.

§. 1399. In obscuritate caussae morbi proximae, instituitur a Pathologis consueta quaestio, an in vitio fluidorum, vel solidorum inquirenda sit. Inter veteres alii eam consistere credebant in sanguinis putrefactione, et hanc opinionem Pringle sectatus est; alii in acrimoniis acidis, aut alchalinis: inter autem posteriores alii in statu salino sanguinis; alii post Lind, et Milman in solidorum debilitate, a qua fluidorum vitium deducebant, et opinabantur hanc solidorum debilitatem ab organorum digerentium atonia, et ab extenuato vitali vigore proficisci: nuperiores tandem in relaxatione solidi vivi, et debilitata contractili vi, maxime in vasis perspicua. Si vero haec caussa solum in solidis, et minime in fluidis existeret, cur saepe acida scorbutum arcent et abigunt? Quis ignorat, succum malorum medicorum et aureorum,

aut antiscorbutica vegetabilia a classibus hunc morbum propulsasse? Quem etiam latet, fructus horaeos interdum ab hoc servasse? Si igitur ab ipso suo principio scorbutum circumspectemus, inficiari non possumus adesse signa, quae eodem tempore patefaciunt solidorum debilitatem, et peculiarem fluidorum mutationem, quae vere dici potest scorbutica. Caussarum autem remotarum animadversio id satis confirmat, quamvis earum agendi modum non bene cognoscimus. Quae disponunt ad scorbutum sunt aegrotantium origo, temperamentum, aetas, sexus, vitae genus, qualitates morales, clima. Etenim experientia scimus, magis laborare scorbuto natos a parentibus eadem labe affectis; debiles, macilentos; aetatem infantilem, quae vero magis patitur scorbutum, qui dicebatur στομακάκη, minus illum, qui σκελοτύρβη appellabatur; foeminas; timidos; pusillanimes; moerentes; habitatores frigidorum et humidorum climatum, regionum palustrium, aut secus maris litora, aut lacuum oras; desidiosos, et nihil agentes. Inquit Sennertus Tom. III. pag. 256. = Hinc ii qui otio

vivunt magis scorbuto obnoxii sunt, quam qui laboribus exercentur; foeminae viris; urbani agricolis = Caussae autem occasionales praecipue sunt qualitates aëris; quaedam alimenta, et potiones; animi pathemata; defectus quarundam consuetarum exinanitionum; contagium. Familiaris enim est scorbutus ubi aër est frigidus et humidus, aut humidus, aut pravis nocuisque effluviis infectus, ut ille navium, carcerum, castrorum, et palustrium coenosarumque regionum; si in assiduo usu sunt carnes bubulae aut suillae fumo exiccatae, et sale conditae, pisces etiam saliti, fumoque arefacti, salsamenta, farinacea, panis mucidus, caseum salitum corruptum vetustum; si privatio carnium, fructuum, herbarum recentium; si aquae crassae, impurae, verminosae, crudae, stagnantes; si deprimat timor, et moeror; si deficiant menstrua, aut haemorrhoides; denique si contagium serpat. Nonnulli vero sunt qui hoc negant, ut Richerand, alii qui ad hoc admittendum non inclinant, ut Rob. Thomas. In pluribus regionibus, ut septemtrionalibus et maritimis,

ad producendum scorbutum plures ex expositis caussis conferunt, ut aër, victus, aqua; ut et apud nautas aër humidus maris, et corruptus navium; carnium et herbarum recentium privatio; stativae et depravatae aquae; saliti cibi assiduus usus; deprimentia animi pathemata. Immerito igitur mihi videtur Darwin opinari, marinum scorbutum ab alimentis sale conditis produci, quorum continuus stimulus venosum et absorbens systema enervat; eoque venae imperfecte sanguinem a capillaribus recipiunt, unde surgunt maculae fuscae et nigrae, quibus conspergitur cutis sine febre, membra fiunt livida et oedematosa; tandem propter absorptionis defectus generantur ulcera. Abusus salis et saliti alimenti laedit certe solida, sed immunia non linquit fluida, quae maxime vitiantur et corrumpuntur; siquidem in ipsis illa constituitur acrimonia, quae a veteribus dicebatur muriatica. Nautae autem non solum vescuutur salitis alimentis, sed etiam aërem particulis salinis repletum respirant, et aqua pura orbantur. Non igitur una caussa, sed plures ad excitandum scor-

butum maris conspirant. Sic a multigenis caussis commovetur scorbutus castrorum, carcerum, obsessarum urbium, qui sine cunctatione epidemicus et contagiosus evadit.

§. 1400. Ut scorbuti eventum divinemus, perpendere debemus caussas, symptomata, aegri aetatem et sexum, varietates et periodos morbi, remediorum effectus, et naturae motus, qui interdum ad felicem resolutionem tendunt. Si itaque scorbutus a caussis levibus nascatur, ut saepe sporadicus, facilius sanatur; si contra ab haereditaria dispositione et a concursu gravium caussarum, ut ille maris, saepe periculosus est, et lethalis. Fausta symptomata sunt vires non adeo dejectae; facilis membrorum motus; pulsus non tam debilis; aut si debilis et parvus, alia non apparent aerumnosa signa; expedita respiratio; cutis mollis, et humida; maculae rubicundae nigris meliores, et ubi nigrae sunt velociter luteae fiunt; illesae manent internae partes, et viscera: infausta vero sunt maxima debilitas; facies tumida; pulsus debilis, parvus, celer, intermitteus; respiratio difficilis; anxietas et

angustia pectoris ; ulcera et erosiones gingivarum, unde deteguntur ossa, et labuntur dentes ; ingens palati, fauciumque putredo ; maculae lividae, nigrae ; convulsivi motus, et paralyses ; tormina ventris et circa umbilicum contorsiones, utpote signa intestinorum inflammationis, quae in gangraenam facile transit ; haemorrhagiae dissoluti sanguinis ; tumores oedematosi, et gangraenosa ulcera crurum ; vomitus et eodem tempore dejectiones, aut dejectiones foetidissimae et involuntariae : perniciosissima tandem sunt maculae nigrae et extensae, quae abeunt in ulcera foetida et gangraenosa ; exulcerationes gingivarum, quae celeriter invadunt fauces et tonsillas ; gingivarum gangraenae, et lividus faucium color. Juvenes et robusti expeditius sanantur, quam provecti, aut jam senes, qui saepe atrophia, hydrope, tympanite, paralysi, et etiam subitanea morte pereunt. Generatim scorbutus periculosior est in foeminis, maxime puerperis. In istis frequenter deficiunt menstrua, aut immmodica sunt, aut horum vice copiosa fluit et alba materies. Terrestris scorbutus progressu fit

periculosus, epidemicus, contagiosus; sed citius marinus. Scorbutus symptomaticus, secundarius, complicatus plus vel minus portendit discriminis, prout est natura primariorum morborum, et illorum cum quibus conjungitur. Ille qui excipit longas febres, et chronicos morbos difficilis curationis est; ut qui complicatur cum affectionibus convulsivis, ut hysterica, et hypochondriaca. In prima morbi periodo curatio promptior est, et saepe regulae diaeteticae sufficiunt, quod in sequentibus periodis nunquam evenit. Crebro in ultima periodo impossibilitatem sanationis symptomata ostendunt, ut maxima consumptio, hydrops, sphacelus extremitatum inferiorum, dyspnoea, dysenteria, stupor, convulsiones, deliria, epilepsia, apoplexia. Interdum denique natura edit salutares motus, unde quaedam modicae promoventur haemorrhagiae. Inquit Klein Inter. Clinic. pag. 254. = Urina cruenta in scorbuticis saepe cum levamine mejtur, limites modo haud transgrediatur = Idem dici potest de modicis alvi haemorrhagiis. Aliquando in diversis partibus corporis surgunt tubera aut

sine aut cum ulcerationibus, quae ut critica habentur; nam per depositionem materiei ad externas partes allevatur aeger, et imminuitur morbus. Sed cum hujusmodi tubera comparent et evanescunt, secundum clarissimorum practicorum observationes paralysin praenuntiant.

§. 1401. Inspectione cadaverum inveniuntur aquae in cavitatibus pectoris, et abdominis collectae; pulmones nigri, corrosi; pleurae adhaerentes; induratum hepar, et lien; diffusiones sanguinis et in cavis, et inter musculos; cordis cavitates corrupto cruore plenae; musculi pallentes, flaccescentes, nigricantes, ad corruptelam proclives, aut tumefacti, et duritie induti; plures partes sive externae sive internae gangraena subversae; ossa aut emollita, aut carie exesa. Inquit Soemmering, ossa in scorbuto apparere cineracei coloris, sed posteaquam per aliquod temporis spatium actioni aëris exposita fuerint.

§. 1402. Ut pulchre scorbuti dirigatur curatio, prae oculis illius stadia, caussae, et symptomata habenda sunt. In primo enim

stadio maxime interest ordinatum diaetae regimen, summa mundities, animi quies, aëris mutatio. Inquit Klein op. cit. = Exactissima diaeta medicinis praestat, sine qua sensim fit incurabilis. = Saepe vero haec non sufficiunt, et curatio aliqua purgatione incipienda est, et deinde suppeditanda sunt antiscorbutica, quorum plura etiam nutritioni inserviunt, ut nasturtium aquaticum, fumaria, beccabunga, cichorium, endivia, lupulus, asparagus, spinacea, brassica, rapa, caepa, allium, porrum, raphanus, sinapis, etc. Cum autem victus esse debeat animalis et vegetabilis, carnes juvenum animalium eligantur. Potiones utiles et jucundae sunt quae parantur ex aqua purissima cum succo malorum medicorum et aureorum, et saccharo. Sic ut alimentum et ut medicamentum maxime juvat lac, aut serum lactis, vel simplex, vel cum succo plantarum antiscorbuticarum. Sed interdum haec satis non sunt, cum scilicet usque a morbi initio ingens est virium dejectio; et tum danda sunt roborantia, inter quae cortex peruvianus praestat. In maritimis itineribus statim ac in na-

vibus evolvitur scorbutus, confestim, si fieri potest, illo affecti in terrestri loco deponantur, illisque victus recens, restaurans, sed magis vegetabilis, quam animalis concedendus est. In secundo morbi stadio etiam maxime conferunt salubris aëris, mundities, victus magna ex parte vegetabilis, acida vegetabilia et mineralia, fructus horaei, lac, aut serum lactis simplex, vel cum succo graminis, cichorii, nasturtii aquatici, et alia antiscorbutica. Sed quia morbus jam amplior et provectior est, ob virium debilitatem auctam opportuna saepe sunt stimulantia et roborantia ut vinum, cortex peruvianus, praeparata ferri, calamus aromaticus. Prosunt etiam frictiones aut siccae, aut cum aliquo liquido stimulanti factae. Paterson tam pro usu interno, quam externo nitrum cum aceto utiliter adhibuit. Tandem in tertio stadio usurpanda sunt acida mineralia, validiora antiscorbutica, antiseptica, et tonica, ut praeter cochleariam, beccabungam, nasturtium aquaticum, quorum simplicium praecipue adhibeantur succi, aut extracta, ratanhia, cortex peruvianus, dulca-

mara, rubia tinctorum, aqua calcis, lac praesertim asininum. Lac ab Hippocrate fuit magni factum; deinde ab omnibus. Laudat Hoffman lac et serum, et cum lacte largum aquarum medicatarum usum. Cum vero humores nimis dissolvantur, aptiores sunt aquae acidulae, quam quae sal alchalinum continent. Victus in ratione virium et symptomatum esse debet. Generatim praeter lac asininum, optima sunt jura carnium juvenum animalium, juscula farinacea edulcorantia ex oryza, hordeo, sagu, et etiam fructus horaei, dummodo diarrhoea, aut dysenteria non adsit. Nos hisce fructibus libentissime utimur, qui non solum proficui sunt, sed ab aegrotantibus avide expetitis. Van-Swieten Tom. III. pag. 634. refert observationem Clusii, quam iisdem auctoris verbis ad instructionem juventutis repetere juvat. = Apud Clusium legitur, Norwegos in vicinam insulam, moris abundantem, exponere scorbuticos, neque domum reducere, priusquam sanitati restituti fuerint; toto autem tempore quo sic ab omni humano consortio remoti vivunt, solis moris vescuntur,

et quandoque intra paucos dies convalescunt. Hyemali autem tempore, ubi haec expositio fieri nequit, ob acre frigus, electuario ex hisce fructibus parato, magna copia assumpto, utuntur simili cum successu = Plures praeterea in curatione scorbuti maximi existimant recentem cerevisiam, inter quos Darwin, ut part. 2. Zoonom. Tom. IV. pag. 120. videre est.

§. 1403. Inter symptomata, quae in stadiorum circulo occurrunt, interdum est alvi durities pertinax. Tum alvus cienda est, sed caute, et levioribus purgantibus, ut tamarindorum pulpa. Interdum vexant interni dolores, qui inflammatorii videntur, sed ut plurimum tales non sunt, et ideo venae sectionem recusant, quae esse posset exitiosa. Laudantur fotus aromatici; sed nos magis utiles illos aquae calidae, aut decoctionis calidae malvae existimamus. Si hujusmodi dolores pectus occupant, praecipi solent rubefacentia; sed cavendum est ne vesicam producant, et gangraenosa ulcera. Mihi videntur, praeter emollientes fotus, sedantia magis expedire. Sic faciendum, si dolores

in abdomine sedeant. Interdum torquet dyspnoea, et tum generaliter admoventur vesicantia; sed in curatione scorbuti quantum fieri potest fugienda. Fiant potius balnea calida manuum, et ad bibendum aliqua egelida et emolliens decoctio. Si cutis evadat admodum sicca et rugosa, administrentur quae perspirationem movent, ut aliqua decoctio leviter diaphoretica. Si super cutem scorbuticae eruptiones compareant, praeter lac, et convenientem victum, aquae minerales, et balnea marina prosunt. Si praeparcae reddantur urinae, earum secretio aliquo diuretico promovenda est. Cum contingant effusae haemorrhagiae, quae a dissoluto sanguine proveniunt, in usu sint adstringentia, praesertim acida mineralia. Cum ex ore emittitur foetidissimus odor, gingivae sint flaccidae spongiosae, vacillent dentes, copiosa et tenuis effluat saliva, adhibeantur gargarismata adstringentia et antiseptica, ut illud ex quatuor unciis aquae rosarum, drachma spiritus salis marini; aut aliud ex unciis sex aquae rosarum, drachma cum dimidia aluminis, et drachma optimi mellis;

aut ex unciis sex decoctionis corticis peruviani, sesquiuncia tincturae myrrhae, guttis quindecim ad viginti acidi muriatici; aut ex unciis sex infusionis salviae, drachma optimi mellis, quindecim guttis ad viginti acidi sulphurici vel muriatici; aut ex sex unciis aquae rosarum, dimidia drachma tincturae laccae cum spiritu cochleariae. Tempore quo haec gargarismata fiunt, si adsint ulcera, penicilli ope illinienda sunt melle rosaceo et acido sulphurico, vel muriatico. Si vero ulcera scorbutica alias obsideant partes, ut meliorem aspectum sumant, curationi internae illa localis respondeat, quae applicationibus tonicis et antiscorbuticis continetur. Detersa horum ulcerum superficie, pulvis corticis peruviani aspergitur. Sed alia plura applicari solent, ut balsamum Arcaei; cataplasmata ex oxali acetosella; succus citri aqua dilutus; lotiones ex aceto cum nitro, scilicet solvitur dimidia uncia nitri in quatuor unciis aceti, quae solutio, ut supra vidimus, etiam interius sumitur. Pro rebellibus ulceribus juvat aliquod cataplasma alicujus farinae resolventis cum extracto sa-

turni. Cum ulcera sordescant, tinctura myrrhae, chinae chinae conspergantur, et unguentum digestivum apponatur. Ubi vero propendent ad gangraenam, utilem reperiit Harness applicationem succi gastrici animalium herbivororum. Praeterea, ubi fieri possit, negligenda non est aequalis compressio per totam membri extensionem, quae circulari ligatura fit.

§. 1404. Si scorbutus symptomaticus sit, aut secondarius, remediis, quae in primarios morbos pollent, antiscorbutica adduntur. Si ab obstructione splenis proficiscatur, optimum consilium dat Stanislaus Grottanelli in suo lib. Florentiae edito an. 1821. ad acut. et chron. splenitidis eidemq. succed. morbor. historias animadversiones, dum pag. 141. inquit = Probatissimum igitur apud nos erit consilium, statim ac de scorbutica dispositione lienosis inest periculum, curationi manus admovere, et antiscorbutica simul, et ea quae contra lienis obstructiones pollent remedia conjungere. Sic cum simplicis cerevisiae potu, vel cervisia medicata, ferri praeparationes praebere confert. Subacida in-

de vel in escam, vel in potum, et acida vegetabilia, praesertim mali medici, aut mineralia in decoctionibus plantarum quae contra varios scorbuti gradus adhibentur, nec non alia remedia juxta morbi complicationem usurpanda sunt. = Ipse auctor dat formulam cerevisiae medicatae. R. cerevisiae lib. sex, radicum raphani, folior. cochleariae, nasturtii p. aeq. unc. duas; post horas XXIV. col. et add. dimidiam drachm. nucis moscatae, corticis Winterani drachmam, sacchari uncias quatuor. Dosis est ab unciis duabus ad sex et amplius. Si autem scorbutus a diuturnis febribus intermittentibus producatur, aut cum ipsis complicetur, administrandus est cortex peruvianus, et antiscorbutica, praesertim succi recentes cichorii, nasturtii aquatici, beccabungae, trifolii fibrini, raphani rusticani, acetosae; potiones acidulae; fructus horaei; aquae thermales; serum lactis vel simplex, vel cum succo plantarum antiscorbuticarum; et coeli mutatio suadenda. Sic dicendum est, si scorbutus aliis aegritudinibus componatur, ut scrophula, rachitide, lue venerea, etc. De-

nique aut scorbutus sit primarius, aut symptomaticus, donec aliquod extet symptoma, aut ad illum dispositio, linquenda non sunt remedia, et quidquid potest praecavere morbum, ut aër purus, siccus, calidus; panis bene fermentatus; selecta obsonia; aquae purae; modicus vini usus; vestes calidae et siccae; animi quies; apta corporis exercitatio; et rura salubria colere.

GENUS SEPTIMUM

Syphilis

§. 1405. Morbus orsus a venereo contagio, quod secundum partes quas aggreditur, multiplices effectus edit, ut tumores, maculas, pustulas, ulcera, dolores ossium noctu exacerbantes, exostoses, cariem, etc. syphilis dicitur, aut venerea lues. Haec vulgo creditur ab America in Europam fuisse transvecta, cum Columbus, qui primis Augusti diebus ann. 1492. a portu Pali profectus erat, die duodecima Martii sequen-

tis anni in Hispaniam redierit. Dicuntur etiam Columbi milites lue venerea affecti, Neapolim transmissi, cum Hispani hanc urbem defenderent, tempore quo Carolus VIII. Galliae Rex in Neapolitanum regnum bellum duxerat, eandem luem meretricibus communicasse, quae deinde Gallici exercitus milites, hi vero alias Europae gentes infecerunt. Verum si sine insita ante jam menti opinione legantur et considerentur quae ab auctoribus exponuntur, judicandum est, omni aevo sed majori vel minori intensitate syphilidem exstitisse. Hippocr. lib. III. Epidem., Celsus lib. VI. venereos morbos verbis exprimunt, licet de eorum contagiosa indole nihil dicant. Scriptores vero ante Columbi reditum, praesertim illi seculi XIII. et XIV. de contagione morborum venereorum loquuti sunt. Ratio igitur, unde syphilis ut novus morbus fuit habita, est quia illa ab America translata erat absque comparatione multo magis ferox et contagiosa. Hanc Hispani Dominicopoli, et Antillis contraxerunt, ubi commorabantur; hi vero cum in Europam luem Antillarum endemiam exportaverint, e-

dita fuit deploranda strages, quae initio seculi XVII. imminui coepit. Et quoniam Europae populi inter se communicabant luem, haec habuit diversa nomina a natione sumpta, ex qua ad aliam transvehebatur. Sed ad haec expungenda, quae nationibus tam foedi morbi originis opprobrium inferunt, Fernelius nomen venereae luis introduxit, quod adhuc a plurimis retinetur. Nos autem illud syphilidis suscipimus, quod a notissima fabula Syphili pastoris Regis Alcithoi a Clariss. Fracastoro effincta originem ducit.

§. 1406. A contagio venereo partibus applicito venerei morbi locales producuntur; sed cum hoc contagium in humores transmittatur, syphilis progignitur, sive venerea lues. Primis temporibus, cum haec ab Antillis fuerit evecta, non observabatur blennurethria virulenta, quae autem post annum 1530. comparuit. Quodcunque sit hujus contagium, in hominibus urethram, in foeminis vaginam circa urethrae orificium, cryptas aut lacunas mucosas circa hoc ipsum orificium, vaginam ipsam, et interdum etiam urethram petit. Disceptatur an blennurethria

virulenta sedem habeat in utero, tubis Fallopianis, ovariis; sed cur inflammatio a vagina ad uterum, aliasque adjacentes partes produci non potest? Hic fluxus a foeminis facilius sustinetur; sed difficillime curatur propter humiditatem et laxitatem partium affectarum. Saepe contagium subigitur, sed fluxus remanet materiae albae et mucosae quae plus non inficit. Cum hic fluxus habitualis fiat, et tonica, adstringentia, balsamica non sufficiunt, mercurialibus submittitur. Ab Astruc laudibus efferuntur unctiones mercuriales, quae quidem maxime conferunt, cum adsit aliqua prostatae durities, glandularum Cowper, aut alterius partis urethrae, aut perinaei, aut glandularum vaginae. Cum in hominibus partes fiant callosae, adhibentur candelae, ex quibus levis inflammatio promovetur, et hinc fluxus materiae purulentae, et ita callositates absumuntur. Dum autem contagium venereum in inguinum glandulas agit, et etiam in telam cellulosam, quae eas involvit, vel in uno, vel in utroque inguine producuntur bubones. Rarissimus est ille bubo, qui dicitur

pubis, et forsan non est nisi bubonum inguinalium extensio. Generantur bubones non solum cum adsint ulcera venerea in partibus genitalibus, aut virulenti fluxus cohibeantur, sed etiam cum contagium venereum absque ulla evidenti laesione absorptum fuerit. Dum bubones resolvuntur linqui non debet antivenerea curatio, ne venereum virus in humores transmissum pariat veneream luem. Suppuratio bubonum si laudabilis, non timenda; sed scirrhus et gangraena maxime reformidanda est. Ulcera syphilitica nascuntur a venereo contagio partibus admoto, aut a generali infectione. Generatim haec sunt inflammata, dolentia, sordida, cum inaequali superficie et marginibus prominentibus, et facile dilatantur, et aegre ad cicatricem tendunt. Sed haec ulcera aut benigna sunt, aut maligna. Prima sunt superficialia, rotunda, parum callosa, quae materiem potius albam emanant, et quorum labia sunt rubra, vixque tumentia; secunda sunt irregularia, angularia, fusca, liventia, nigra, ichorem stillantia, cum labiis callosis, prominentibus, inflammatis. Frequentius ulcera ve-

nerea in hominibus sedent in praeputio, frenulo, glandis corona, et in ano apud cinedos; in foeminis circa nymphas, clitoridem, interdum vaginam, et uteri collum. Observantur etiam in illis locis, quae membrana mucosa obducuntur. Venereae fissurae, quae juxta anum non raro deprehenduntur, dicunturque rhagades ad ulcera possunt referri, et sicut haec curantur. Ulcera syphilitica nullo negotio evadunt phagedaenica, aut quia negliguntur, aut impropria adhibentur remedia, ex quibus irritantur, et inflammantur. Praecipua curatio consistit in administratione interna et externa mercurii, sed cauta et ordinata, ne succedat salivatio. Fugiendus vero mercurius est, si affectae partes irritatione et inflammatione teneantur. Testes etiam tumefiunt, et inflammantur non solum a coercita blennurethria virulenta, sed etiam a confirmata syphilide. Quum reprimitur blennurethria virulenta, incipiunt testes dolore affici; tumet anulus musculorum abdominis; inflatur, dolet, et nodosus fit vasorum spermaticorum funiculus; tumescit epididymis; tandem manife-

statur inflammatio. Testes enim fiunt duriores, magis dolentes, et calidi; adest in ipsis pulsatio; accenditur acuta febris. Inflammatio vero magis lenta est, cum a confirmata syphilide producitur; sed majori difficultate resolvitur, et periculum urget scirrhi, sarcomatis, cancri. Interdum in suppurationem transcendit, quae aut evenit in substantia cellulosa darti, et a symptomatibus distinguitur, quae illam minus profundam ostendunt; aut in substantia testis, ut a symptomatibus cognoscitur, illam altiorem indicantibus. Ubivis autem sit, oportet aperire abscessum, et quidquid ansam praebere potest fistulae removere, ut est integumentorum scroti amotio, et eorum tunicae propriae testis adhaesio. Etiam testis vacuitas, si cito non adimpleatur, callosus fit membranae hiatus, et constituitur fistula in testis substantiam penetrans. Si vero testes durescant, unctionibus mercurialibus hujusmodi durities resolvi potest; sed si non polleant, et illa augeatur, testes abscindere necessum est. Etiam pori, varrucae, condylomata, aliaque tubera, quae in hominibus

surgunt ad glandem, praeputium, et in foeminis ad partes internas vulvae, mammas, in utroque sexu ad anum, aut produci possunt ab applicatione venerei contagii, aut a confirmata syphilide, de qua praesertim disserere animo statutum habemus.

§. 1407. Statuitur venerea lues cum contagium venereum absorbetur, et in circulum transfertur. Tunc temporis non deest irritatio levis cum aliquo rigore, sed saepe tam exiguo ut minime animadvertatur. Posteaquam syphiliticum virus circumivertit, ad illas partes trajicitur, pro quibus majorem affinitatem ostentat, et ut plurimum partes superiores primodum impetit. Frons deturpatur pustulis, quae constituunt coronam veneris, et etiam facies hisce adimpletur; guttur, et nares inflammantur et exulcerantur; oculi etiam saepe inflammatione afficiuntur; laeditur auditus; superveniunt vertigines, et alia convulsiva pathemata: hinc corripiuntur larynx, trachea, pulmones; eruptiones et maculae subrubrae, fuscae, aereae corporis superficiem, potissimum pectoris contaminant; huc et illuc effinguntur crustae, quae

labuntur et renascuntur : altius contagium permeans adoritur ligamenta, tendines, ossa, aponeuroses, eoque implacabilia dolorum tormenta, quae noctu magis excruciant, duri tumores, nodi, exostoses, gummata; caries; corrumpuntur, et consumuntur cartilagines, ut illae nasi; ulcera oris et gutturis magis dilatantur, et illa pudendorum evadunt phagedaenica, et ipsi oculi exulcerantur; ossa palati eroduntur carie, et inter os et nasum reseratur via: denique summa est consumptio corporis, vox deest, decidunt capilli, difficillime absolvitur deglutitio, perduntur vires, et quies, atque hectica febris usque ad extremum vitae momentum non deserit. Generatim urinae venereorum foetidissimae sunt et crassae, aliquantisper turbidae, et sedimen abjiciunt. Observandum etiam est, quod in cursu syphilidis, si exterius affluentes sint impetigines et ulcera, minor est noctu dolorum ferocia. Inquit Klein op. cit. pag. 285. = Quo magis crustulae, porrigines, ulcera, scabies diffunduntur per varia corporis spatia, eo minus aeger tortura discru-

ciatur nocturna. = Ob expositum syphilidis progressum, in tria stadia a practicis dividi solet. Incipit primum, cum primi in ore et in faucibus prodeant contagii insultus; secundum, cum profundiores partes attententur; tertium, cum organorum structura subvertatur.

§. 1408. Contagium syphilidis est humanae speciei proprium. Plerumque per impurum concubitum; quandoque per alios modos diffunditur. Infantes a venereis parentibus geniti, saepissime eadem lue inficiuntur. Immerito quidam in dubio sunt, an infecta mater possit proli communicare luem. Haec enim temeratos humores recipit a matre, et in ipso utero contagii effecta patitur, ut ab aspectu deprehenditur, cum in lucem veniat. Ait Astruc de morb. vener. lib. II. Cap. I. = Imo compertum est ab infecta matre partus edi squalidos, semiputres, ulcerosos, vere syphiliticos. = Pluries vidimus ab ortu puerulos maculis aereis, ulceribus maxime juxta anum foedatos, inquietos, plorantes cum voce stridula, et epidermide in squamas abeunte. Foetus praeterea in suo

transitu, praesertim non expedito, si pudenda matris ulceribus syphiliticis contaminentur, imbui potest contagio. Infantes et nutrices possunt lactatu vicissim pollui. Si infans nutricem inficiat, apparent ulcera circa mammas; si contra nutrix infantem, occupant ulcera hujus linguam, fauces, internum os. Contagium autem venereum absorberi potest aut per infectos cyathos, et vestes, per sudores, et dum illi applicentur vulneratae partes. Si contagii absorptio absque visibili laesione partium fiat, non semper e vestigio cognoscitur. Sunt tamen signa, quae suspectionem injiciunt, ut insueta lassitudo, tristitia, pallor, abruptus somnus, inappetentia, dolor in medio pectore fixus, halitus foetens. Majori vero temporis spatio magis perspicua signa sunt. Violentia et varietas symptomatum nascitur a majori vel minori contagii vi; a diversis temperamentis; natura partium affectarum, et climatum. Ignota erat Europae immanitas venereae luis Antillarum endemiae, quae a validissimo contagio nascitur. Hujus contagii effectus promptiores et vehe-

mentiores sunt in calidis temperamentis, quam in frigidis, pinguibus, leucophlegmaticis. Citius virus operatur in partes teneras, molles, membrana mucosa indutas. Hinc frequenter membrana roditur, quae tegit ossa palati, nasi, vomeris, ethmoidis, et haec ipsa ossa corrumpuntur. Influxu calidissimi climatis contagium syphiliticum ineffabilem virulentam vim assequitur, unde per Africam truculentissime debacchatur lues. Idem corporis calor, si fervidior, saeviorem reddit infectionem, ut ità animadvertit Van-Swietem Tom. v. par. II. pag. 20. = Dum turpia postribula a formosis juvenibus incitantur ad fervidissimam venerem pejor metuenda est infectio, si lue venerea infecta fuerint. = Ignorantur autem principia contagium syphiliticum componentia. Quidam haec putant insecta; sed quod non creditur ab insectis genitum? Alii autem effingunt contagium ab acrimonia acida; alii a principio alchalino compositum; alii hujus originem deducunt a stellarum aspectu; alii a degenerata elephantiasi; alii ab inundationibus fluminum; alii ab aëris qualitati-

bus; alii a gentium permixtione; etc. Sed absurdis relictis, libentius ad probabiliora veniamus. Si contagium venereum partibus humani corporis admovetur, has irritat, inflammat, rodit; hinc nascuntur specialia ulcera, et partes molles et durae decomponuntur, et subvertuntur. Ergo hoc contagium irritantibus, acribus et erodentibus principiis constituitur, et interdum virulenta et exitiosa vi pollet, ut illud ab Hispanis in Europam transmissum, a quo instar fulminis generabantur ulcera pudendorum cancerosa et erodentia, pustulae et ulcera per totum corpus, et illa depascentia gutturis et nasi; membrorum dolores immensi; nodi, tophi, gummata, caries; universalis scabies. Tantae Americanae contagionis malignitati multum contribuere debuit natura climatis, procax et effraena mulierum salacitas, earumque sordities, ex qua praesertim ulcera maligna et maxime contagiosa pudendorum inseri debebant. Ut autem contagium venereum operetur, et ab ejus actione succedat inflammatio, et deinde aliquis venereus morbus, oportet, ut illius actioni partium ir-

ritatarum reactio respondeat. Si enim hae partes manerent insensibiles, cum hoc contagium fixum sit, nullum afferret incommodum, et saepe absconderetur, dum ad alios potest per contractum propagari, et postea, stantibus opportunis circumstantiis, consueta effecta producere. Cum autem contagium venereum introducatur in sanguinem, quis exponere poterit ejus agendi modum, ejusque effectus varios? Maximam propensionem habet ad glandulas lymphaticas, illis sebaceis libenter adhaeret, lymphis et muccis immiscetur. Non conjungitur sanguini; eoque dicitur sanguis in lue venerea non infici; contagium a sanguine separari; et non esse contagium donec sanguine confusum. Dicitur etiam lacte et saliva non immisceri, et non esse contagium, donec istis humoribus consocietur. Hoc aliquando in aliquas partes, et organa actionem suam dirigit, et sub specie aliorum morborum, ut cephalalgiae, ophthalmiae, otalgiae, lues venerea celatur. Dum vero hi morbi aptis remediis non cedunt, ut solent, cum primarii sint, aliquod comparet signum, quod detegit ab-

sconditam luem, et ad antivenercam curationem statuendam suadet.

§. 1409. Obtineri potest syphilidis sanatio, si sit recens, mitis, simplex, et prompta curatio; contra si inveterata, gravis, complicata, et neglecta curatio. Maximum est discrimen, si symptomata laesam organicam partium structuram patefaciunt; si aeger scorbuto, scrophula, podagra laboret; si naturalis constitutio debilis sit, aut ab aliqua caussa, praesertim animi pathematibus talis reddita. Quaedam sunt constitutiones, quae ad superandum morbum opportuniores videntur; interdum tamen minus resistunt, idque ut plurimum evenit, urgente tristitia. In universum syphilis melius a juvenibus plethoricis sustinetur, quam a senibus, pituitosis, phlegmaticis, melancholicis. Non raro in gravidis effectus venereae luis horrifici sunt, ut partus praematurus; extinctio foetus in utero, aut hic nascitur eadem lue infectus; in matribus tumores, ulcera, dolores, exostoses, eruptiones cutaneae. Ita affecti pueri remanent debiles, macilenti, et facile pereunt; aut si virilem ae-

tatem attingant, prolem generant cito pèreuntem. Tali modo familiae et nationes miserabiliter degenerant. Interdum variis concurrentibus caussis curatio syphilidis ardua est. Praecipuum remedium mercurius est, sed non semper aegri conditio, et symptomata eum tolerant. Si lues complicetur cum scorbuto, magis mercurio exulcerantur, et gangraena afficiuntur partes oris; magis humores dissolvuntur, et lethales superveniunt haemorrhagiae. Curatio etiam difficilior est frigidis anni tempestatibus, quam calidis. Nec promptum est curare recidivas, quae subinde funestum exitum habent. Symptomata clarum praebent lumen. Inquit Klein op. cit. pag. 284. = Si vitium adhuc in succis tantum, felicior est status ac curatio felicior. Exigua spes superest, cui ossa erosa, exesa, comminuta, gummatibus tentata, viscera laesa, corrupta, etc. = Omnis igitur abrumpitur spes, si sit summa macies, febris hectica, lapsus capillorum, haemorrhagiae, diarrhoeae, hydropes, paralyses, caries, cancer, sphacelus. Sectione cadaverum plura lustrantur syphilidis effecta, ut

ossium caries, praesertim cranii; exulcerationes cerebri; tumores glandularum lymphaticarum; scirrhi viscerum, maxime hepatis; tubercula pulmonum; exostoses; seri collectiones.

§. 1410. Syphilis suapte natura sanari non potest; ergo curatio necessaria est, et prompta, ne organica partium textura tentetur. Curatio autem alia radicalis est, alia symptomatica. Mercurius est valentissimum et radicale auxilium; deinde alia quae dicuntur antivenerea; et alia quae symptomata morbi respiciunt. Inutile foret, et toedio plenum opus ad examen vocare veterum et nuperiorum hypotheses ad exponendam mercurii actionem, an scilicet reddat iners et dissolvat venereum contagium; an hoc expellat, humorum separationes et excretiones movendo; an opponatur irregularibus motibus fibrarum, ex quibus progignuntur venerea vitia, et hos motus ad ordinem reducat; etc. Scire igitur sufficiat, mercurium subvertere contagium syphiliticum, ejusque multiplicia symptomata. Et cum non adhuc repertum sit remedium,

quod ad explendam syphilidis curationem comparari possit mercurio, semper hujus loco alia antivenerea deligere, ut quidam autumant, idem est ac vitam aegrotantium in discrimen ponere. Nihilominus si lues sit recens et benigna; si aegri conditio illum non perferat, adhiberi possunt antivenerea, quorum plura ab Antillis fuerunt ab Hispanis transvecta. Non multos post annos a transmissa in Europam venerea lue, cognita in hanc fuit mercurii potentia, qui prius pro usu externo, mox pro interno usurpabatur. Quisque videbat quam prompte per mercurium cutis livor circa venerea ulcera in naturalem colorem vertebatur; cutis pustulae exsiccabantur; dolores osteocopi imminuebantur; tophi, gummata, exostoses emolliebantur; ulcera sanabantur. Quamvis vero usque ab initio haec prodigiosam mercurii vim ad aggrediendum delendumque venereum contagium demonstrassent, tamen per longum temporis spatium ita mercurio curata fuit lues, ut sine necessitate et ingenti aegrotantium damno immodicus salivae fluxus promoveretur. Prospere tandem convenerunt o-

mnes, ita praebendum esse mercurium, ut per vasorum systema inductus contagium oppugnet, quin salivationem provehat. Ut nascens venereus bubo solvi potest, si lateribus internis coxarum applicetur mercurius, qui contagium impetit, penitusque delet. Sed ut mercurius bonos effectus edat, et evitetur salivae fluxus, plures cautiones tenendae sunt, sive exterius, sive interius adhibeatur. Ad mercurialem curationem instituendam praeferenda est aestas, sed non fervida; quantum licet fugienda est hiems; siquidem in hac tempestate facile intercipitur insensibilis perspiratio, mercurius in aliquod viscus se conjicit, aut immodicam salivationem proritat. Si vero ita necessitas cogat, ut hieme mercurialis curatio ordinetur, necesse est cubiculum calidum facere et ita servare. Per expositam rationem ver est autumno anteponendum. Ut autem aeger ad mercurii curationem praeparetur, pro variis casibus varia possunt expedire, ut aliqua purgatio, aliquod calidum balneum aquae communis, diaeta lactea, serum lactis vel simplex vel cum succo depurato nastur-

tii aquatici, deobstruentia, etc. Cum autem suscipitur mercurii usus, studiose declinandum est a salitis et nimis conditis alimentis; acidis; liquoribus spirituosis, omnibusque stimulis, quia mercurius in statum irritationis corpus inducit. Alimenta sint levia, et digestu facilia, ut jura, hordeum, oryza, lac, carnes juvenum animalium, aliquis maturus fructus, et ad bibendum aqua cum vini pauxillo; et aeger se induat veste lanea. Ne mercurius violenter agat, a parcis dosibus incipiendum est, quae gradatim augentur. Licet hae regulae observentur, subinde tamen salivae fluxus promovetur, qui a quibusdam symptomatibus praenunciatur, ut sunt virium languor, capitis gravitas, frequentia pulsus, glandularum salivalium et gingivarum tumor, anima foetens, sapor aeris in ore, lingua rubra, ductus Stenonianus qui in suo tractu chordam refert, circa orificia ductuum excretoriorum glandularum inflammatio. Vix aliquod ex istis signis apparet, suspendere debemus mercurium, nec iterum dare donec omne signum non evanuerit. Si igitur salivatio excitatur a mercu-

rio, etsi caute adhibito, quam frequentius contingeret, si praepostere administraretur? Et non solum salivatio, sed alia plura mala expergefierent, ut nausea, colicae, diarrhoea, profusi sudores, debilitas. Mercurius variis partibus admovetur, et saepe sub forma unguenti, cujus praestantia ab extinctione mercurii dependet; nam in minutissimas partes divisus, expeditius penetrat. Unguentum mercuriale pro unctionibus ex adipe et tertia parte mercurii, aut ex partibus aequalibus componitur. Dum unctiones fiunt, modicus sit cubiculi calor, quia nocet frigus nimiusque calor. Hae generaliter perficiuntur vespere, et quadam vi; prius alternis diebus, deinde quotidie, et incipiendo a semidrachma unguenti usque ad drachmam. Hujus quatuor unciae ad superandam luem saepe sufficiunt. Infans natus venerea lue, et eodem tempore satis validus, sanari potest, si mater eum lactitans, uncturis mercurialibus submittatur. Harum salutarium unctionum auctor videtur fuisse Jac. Berengarius a Carpio. Prius igitur in Italia, postea in Gallia peractae sunt, ubi

eas promovit Tharry de Hery, qui cum exercitu Franc. I. in Italiam venerat. Dominicus Cirillo ann. 1783. deprompsit methodum perficiendi uncturas cum unguento sublimati corrosivi. Prima formula fuit. R. Mercur. sublimat. corrosivi drach. axungiae porcinae unc. M. et tere in mort. vitreo per horas XII. Deinde vero quo expeditior esset solutio sublimati corrosivi, sal ammoniacum addidit. Auctor ante unctiones aegrum praeparat balneis tepidis, et clysteribus simplicibus; nec purgationem porrigit sine necessitate. Damnat lac, sed serum lactis concedit, aut lignorum antivenereorum decoctionem. Praescribit uncturas ad plantam pedum, quarum primae fiunt per tres dies cum semidrachma unguenti pro unoquoque pede; et balneum in concesso intervallo unius diei: deinde per alios tres dies uncturas, sed cum drachma et dimidia unguenti, quam dosim nunquam praetergreditur; et hanc rationem usque ad morbi extinctionem persequitur. Ad has autem unctiones persolvendas praefert ver, et vesperam, cum digestio sit omnibus numeris ab-

soluta. Inquit effectum unctionum esse urinas uberrimas, foetidas, facile subsidentes; sudorem; et vix inter centum unum aegrotantem salivationem pati. Haec methodus valde efficax est, et praesertim convenit, cum syphilis gravissima sit, et partes molles jam exulcerentur, et ossa carie afficiantur. Mercurius enim per plantas pedum expedite permeat, quia superficialia lymphatica vasa numerosissima sunt, quae deinde in majores truncos conveniunt, et in glandulas inguinales finem habent. Per eadem vasa lymphatica, quae in internis partibus oris, maxime gingivis, lingua, palati fornice, et interna labiorum multa sunt, curavit Clare, ut frictionibus in ore factis introduceretur calomelanus, aut aliud mercuriale sal. Postea vero ne pulvis deglutiatur praescripsit frictiones duabus aut tribus granis pulveris ex drachma calomelani et duabus drachmis boli armenae compositi. Praeterea in nonnullis casibus praeter has frictiones praebebat aquam in ore retinendam, qua dimidium granum sublimati corrosivi solvebatur, admonens ne deglutiretur. In in-

vetarata lue anteponebat pulverem ex grano sublimati corrosivi, quatuor granis boli armenae, duobus granis cremoris tartari confectum. Dosis pro quavis frictione est semigrani; et gingivae per spatium circiter horae momentum defricantur; et bis, aut ter in diem iteratur frictio. Per duo aut tria horae momenta non glutiatur saliva, nec ante transactam horam hauriatur. Nihil dicam de frictionibus ad plantas pedum, et axillas a Chaussier prussiate hydrargyri praescriptis, utpote ob virulentam pharmaci naturam in universum repudiatis, licet hoc pridem tentatum est in usum revocare. Olim cum corpus pustulis, scabie, humidis herpetibus, ulceribus deturpetur, mercurialia suffimenta, praesertim ex cinnabari factitia, aut mercurio dulci cum substantiis gummosis, resinosis, odorosis componi solebant. Hoc vetustum remedium fuit a plerisque repulsum, et merito. Suffimenta enim universalia nocent, praesertim si qua pectoris affectio teneat, ut tussis, asthma siccum et convulsivum. Interdum forsan localia esse possunt

utilia, ut ita monet Fracastor. lib. 2. de Syphilide

Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti,
Judice me, certis fortasse erit utile membris,
Quae papulae informes, chironiaque ulcera pascunt.

Etiam exploratum est pediluviis et clysteribus mercurium intromittere; sed an haec ratio bene succedat, tutiora tentamenta desiderantur. Tandem plura remedia pro usu externo, et pro symptomatibus confirmatae syphilidis mercurio componuntur ut aqua phagedaenica, ceratum hydrargyri, emplastrum gummi ammoniaco cum hydrargyro, unguentum citrinum, etc. Plurima autem sunt praeparata mercurialia, quae interius adhibentur; sed multa obsoleverint et eviluerint. Nos itaque de praecipuis mentionem faciemus. Non ita pridem mercurius praecipitatus albus, praecipitatus ruber, et praecipitatus flavus, sive turpetum minerale, erant in usu; hodie vero mercurius dulcis, quo etiam utebatur Van-Swieten, cum illorum vidisset periculum. Postea vero Clarissimus vir mercurium sublimatum corrosi-

vum delegit, utpote parva dosi efficacissimum, licet jam ab aliis infeliciter pertentatum fuisset. Ipse solvit in libra spiritus frumenti rectificati, aut vini spiritus, grana sex sublimati corrosivi, et solutionis cochlear mane, alterum vespere praebebat, et in urgentioribus casibus etiam cochlearia quatuor in diem. Ut autem removerentur molestiae, quae ab hoc pharmaco induci possunt, praesertim in faucibus et in ventriculo, aliquam emollientem decoctionem simplicem, aut cum lacte superbibere suadebat. Hoc remedium valentissimum est, ut et adnotavit auctor salivationem non proritat, aut aliquam sine incommodo; tamen sine maxima cautela dari non debet. Praecipitato rubro fuit mercurius crudus, depuratus, extinctus subrogatus. Celebrabantur pilulae Barbarossa, Belloste, aliaeque praeparationes, quibus successit mercurius gummosus Plenck, scilicet solutio mercurii crudi cum gummi arabico. Cum vero haud promptum sit, mercurium mucilagine extinguere, fuit ab auctore mel suffectum, et pulvis additus glycyrrhizae, et extractum cicutae. Postea re-

pertus fuit a Moscati Mercurius nigricans, qui licet efficacia non careat, praeter alias molestias, facile salivationem movet, etsi dosis quatuor granorum non superetur in diem. Germani libenter utuntur mercurio solubili Hahnemann, cujus dantur duo vel quatuor grana de die. Cum autem diathesis venerea cum herpetica conjungitur, aethiops antimonialis Huxam non negligitur. Inter vero tot alia praeparata omnium usitatissimus est mercurius dulcis, qui pro variis indicationibus aliis medicamentis alligatur. Post mercurium plura sunt in syphilidem commendanda remedia, ut sarsaparilla, radix chinae, sassafras, guaiacum, daphne mezereum, lobelia syphilitica, extractum cicutae, aconiti, etc. Storck usus est simplici extracto aconiti; deinde huic junxit mercurium dulcem, scilicet sex granis extracti aconiti addidit sex grana mercurii dulcis cum tribus drachmis sacchari albi; et facto pulvere, dimidiam drachmam dabat ter in diem. Nos autem plus semel valde utilem in syphilidem cicutam reperimus. Solum dicam, quod in militari nosocomio militis confirma-

ta syphilide laborantis, in quam fere nihil mercurialia potuerant, mirabilem sanationem obtinuimus, super partes dolentes aut alio modo affectas recentem cicutam continue apponendo, ulcera decoctione hujus abluendo, et interius extractum exhibendo. Transactis annis plures post Chrestien praeparata aurea praedicarunt in syphilidem; quae vero nihil posse arbitror; nam a clarissimis viris ea vidi inutiliter administrari. Laudantur etiam acida mineralia, praesertim nitricum, quod a quibusdam efficax creditur ut mercurius. A Scott cum aqua calida et acido nitrico parata fuerunt balnea; et cum eodem acido paratur pro frictionibus unguentum oxygenatum, omnibus notum. Denique omittenda non sunt auxilia, quae a symptomatibus venereae luis postulantur. Si contingant venereae ophthalmiae, curantur applicatione hirudinum temporibus, et aliqua purgatione; deinde si dolor non cesset, vesicans nuchae, aut parva vesicantia retro aures apponantur; aliquod juvat collyrium refrigerans; evitetur lux; diaeta sit rigida. Cum apparent ulcera oris, aqua hordei elui debent, mox tangan-

tur syrupo violarum in quem indita sint aliquot grana calomelani ; sic faciendum est si in naso adsint ulcera. Sed cum lues etiam nasi ossa aggrediatur, praeter mercurium interius sumptum , decoctiones sarsaparillae , fiant lotiones ex aliquo detergenti decocto , cui aliqua praeparatio mercurialis adjicitur. Etiam cum pustulae venereae exulcerantur , juvant lotiones in quibus sit calomelanus. Cavendum vero est a mercurio cum ulcera venerea evadunt phagedaenica ; sed iterum post aliquod et opportunius tempus dandus est. Interim decoctiones chinae chinae, diaeta nutriens , modicus vini usus , purus aër valde conferunt. Mercurium etiam differre debemus , cum crura oedematosa fiant ; siquidem hoc remedium non convenit, nisi viribus restitutis, quod apta diaeta , regulari et modica corporis exercitatione , campestri et salubri aëre potest obtineri. Cum surgant verrucae , et habeant strictam basim , forficibus , secus acido acetico exscinduntur. Exostoses curantur decoctionibus lignorum sudoriferorum , et super apponendo emplastrum ex gummi ammoniaco cum hydrargy-

ro, aut frictionibus mercurialibus. Ubi tandem dolores nocturni discruciant, ultra mercurium, sudorifera, balnea calida, et illa vaporum, opportuna sunt composita ex opio, ut concilietur quies.

GENUS OCTAVUM

Physconia

§. 1411. Physconia est abdominis tumor ab affectionibus viscerum et partium illius genitus. Hoc nomen arrogarunt Nosologi quia graece ventricosus dicitur φύσκος. Ab ipsis autem physconia dividitur in hepaticam splenicam renalem, intestinalem, mesentericam, omentalem, uterinam, etc; juxta affectum viscus. Nos vero non loquemur, nisi de illa physconia, quae in obstructione viscerum consistit. Obstructiones aut primariae sunt a caussis natae, quae actionem exercent in viscera; aut symptomaticae, quae producuntur a morbis, qui illa laedunt, et obstruunt. Secundum autem varias caussas,

gradus, symptomata habent diversa nomina; ideoque sanguineae, scirrhosae, cancerosae, hydatidosae appellantur.

§. 1412. Obstructum dicitur hepar, cum durum est, ejusque volumen auctum. Interdum hoc viscus ad portentosam magnitudinem et pondus pervenit. Hujus obstructionis signa aut generalia sunt, aut particularia, quae nempe caussas, et gradum illius indicant. Ad prima spectant tumor renitens dextri hypochondrii, aut epigastrii, prout dexter aut sinister hepatis lobus afficiatur; in concoquendis alimentis molestia; facilior decubitus in dextrum latus; incommoda respiratio, maxime incedendo; icterus, praesertim si concava visceris pars offendatur, aut ductus biliferi constringantur spasmis, aut in ipsis haereant calculi; sicca tussis, potissimum post pastum. A peculiaribus autem signis cognoscitur, obstructionem esse sanguineam, si scilicet desit consuetus fluxus haemorrhoidum, aut menstruorum; si non expedita digestio; alvus adstricta; respiratio non facilis; calor capitis, genarum, volarumque manuum: esse scirrhosam, si in-

gens sit visceris durities; respiratio difficilis; inappetentia; vomitus; color luteus superficiei corporis; urinae turbidae; macies; extremitatum inferiorum oedema. Ad cognoscendam vero hydatidosam hepatis obstructionem desiderantur certa signa; et quomodo generentur hydatides ex toto ignoratur. Certum vero est, eas efformari non posse, nisi laedantur leges, quae viscerum incolumitatem conservant. Ut plurimum hydatides in cystidibus clauduntur, quibus disruptis, exiliunt; interdum solitariae per superficiem viscerum sparguntur, interdum conjunguntur, effinguntque racemos. Judicio peritorum rerum naturalium hydatides sunt vermes, quorum corpus vesica aqua repleta terminatur.

§. 1413. Caussa proxima obstructionis hepatis aut est solidorum torpor, et hinc per defectum contractilis vis non satis propelluntur fluida, nec satis resorpta stagnant, praesertim in spatiis cellulosi textus; aut est nimia quantitas humorum qui feruntur ad viscus; aut humores nimis densi, crassi, viscosi; aut eodem tempore solidorum, et

fluidorum vitium. Interdum etiam in visceribus contingunt mutationes, ex quibus dum a salutis statu removentur, abnormes vegetationes, et hydatides nascuntur, cum quibus saepe conjungitur durities, praecipue ubi adhaerent cystides, sicut cadaverum observatione non raro deprehenditur. Hujusmodi mutationes frequentes sunt in hepate, quod penetrant vasa omnis generis, et per quae varia directione sanguis, lymphaticus latex, et bilis per flexuosos meatus fluit. Dispositio ad obstructionem hepatis saepe haereditaria est, et non raro a temperamento infirmo, bilioso, et melancholico provenit. Occasionales autem caussae sunt aër palustris, et insalubris; prava alimenta, et aquae impurae; abusus liquorum spirituosorum; quaedam animi pathemata; vita sedentaria; substantiae quae peculiari modo agunt in hepar; retentio haemorrhoidum, et menstruorum; exinanitiones immodicae; hydatides; etc. Anno 1823. dissertationem edidi, qua demonstravi, quod palustre miasma sensim sensimque in illorum viscera permeat, qui paludosas regiones frequentant, et tor-

porem praesertim ventriculi, hepatis, et lienis infert, ut deducitur ab ore amaro et sordido, inappetentia, lenta ciborum digestione, proclivitate ad somnum, oculorum et superficiei corporis colore luteo, obstructionibus hepatis, et lienis. Praeter igitur qualitatem aëris humidam, et calido-humidam regionum palustrium, rejicienda non videtur actio palustris miasmatis, ut nonnulli autumant. Expeditum autem est exponere quomodo reliquae caussae obstructionem hepatis faciant, ut praeparca, pinguia, glutinosa, coagulantia alimenta; aquae impurae, terreis nocuisque particulis refertae, quae irrepunt in sanguinem, et deponuntur in visceribus; affligentes animi affectus, vita deses, ex quibus debilitantur solida, et fluida vitiantur. Inter substantias, quae peculiari modo agunt in hepar, est fungorum venenum. Observavi in homine alioquin sanissimo, fungorum esu demortuo, quod omnia viscera erant naturalia, praeter hepar lapideam duritiem objiciens. Obstructio autem hepatis symptomatica nascitur ab affectione hypochondriaca et hysterica, scro-

phulis, syphilide, podagra, et praesertim a febribus intermittentibus diuturnis, et autumnalibus.

§. 1414. Si obstructio hepatis sit recens, ejus caussae leves, aetas juvenilis, sperari potest sanatio; ex adverso si inveterata, caussae graves, aetas senilis. Subinde tamen etsi non recens per naturae nisus discutitur, et per fluxum haemorrhoidalem, diarrhoeam levem, et aliquam intermittentem febrem. Sed ubi adeo extensa sit, ut totum occupet abdomen, maxima sit durities, digestio laesa, summa anxietas, respiratio laboriosa, sicca tussis, consumptio, oedema pedum, hydrops, mors ineluctabilis est. Dum haec obstructio abit in scirrhum, si hic recens sit, resolvi potest; contra si vetus, et diarrhoea superveniat. Scirrhus transit interdum in cancrum, quod cognoscitur ab atroci dolore, consumptione, et materiarum foetentium dejectionibus; interdum in sphacelosam corruptionem, idque indicant egestiones alvi sanguineae foetidissimae, maxima virium destitutio, immutata vultus lineamenta, sitis, febris, materiarum

quae deglutitiuntur, aut serosarum, aut biliosarum vomitus, consumptio.

§. 1415. Si lustrentur cadavera, invenitur hepar plus minusve durum, extensum, et ponderosum; una interdum visceris pars dura, alia immunis; hydatides ut plurimum intra cystidem clausae in concava visceris parte, sed subinde per partem concavam et convexam dispersae, modo solitariae, modo conjunctae et fere racemosae; steatomata; sarcomata; scirrhus; cancer; degeneratio sphacelosa; visceris color aut rubro-pallidus, aut luteolus, aut ab illo lienis non absimilis; saepe vasa sanguine turgida; luteae arenulae, et calculi lutei in biliferis ductibus, et cystide fellea; alia etiam viscera abdominis non parum immutata, et corrupta.

§. 1416. Curatio fieri debet juxta caussas et symptomata. Si itaque obstructio hepatis nascatur ab affluxu sanguinis ob defectum alicujus exinanitionis sanguineae, et temperamentum sit plethoricum, convenit sanguinis missio universalis, et partialis, aliquod eccoproticum, clysteres, decoctiones aperientes graminis, endiviae, acetosae, la-

ctucae, serum depuratum, jura carnis vitulinae, victus levis, modica corporis exercitatio; si ab universali debilitate, et a torpore hepatis, victus sit nutriens et concoctu facilis, aër purus campestris, equitatio, remedia deobstruentia et leviter alvum moventia, ut rhabarbarum, cremor tartari, manna, aloe, tartarus solubilis, pilulae saponaceae, aquae ferrugineae: si ab aëre insalubri, pravis alimentis, aquis impuris, animi pathematibus, si fieri potest, hae caussae repellantur. Sed cum hujusmodi nocuae potentiae diu actionem exercuerunt in hepar, ejus obstructiones discutere non est expeditum. Tum opus est adhibere efficaciora deobstruentia, et roborantia, praeter decoctiones, et succos plantarum aperientium, et serum depuratum. Ad deobstruentia pertinent gummi ammoniacum, sagapenum, sapo venetus, terra foliata tartari, tartarus vitriolatus, sal polychrestus, extractum cicutae, mercurius dulcis, etc. Valde utiles sunt pilulae ex rhabarbaro, terra foliata tartari, sapone veneto cum extracto graminis per triginta aut quadraginta

dies ; ut et illae a Burserio praescriptae ex extracto absynthii, et dimidia drachma saponis veneti in dies singulos per tres hebdomadas. Si hae non profuerint, adhibendae sunt pilulae ex extracto cicutae et mercurio dulci. Post deobstruentia ad roborantia veniendum est, praesertim ad ferrum, ejusque praeparata, ut flores martis ammoniacales, aethiops martialis, etc. Hisce etiam utiliter adjungitur sal essentiale chinae. A quibusdam practicis dantur exiguae doses ipecacuanhae, ut utiles concussiones faciant. Hae forsan juvant ubi hepatis obstructio est recens, et aeger juvenis. Exterius autem adhibentur emplastra absynthii, parietariae, verbenae, cicutae ; unctiones ex oleo capparum, absynthii, chamomillae, aut ex cicutae succo. Valde pro unctionibus proficuum invenio unguentum mercuriale ad dimidiam drachmam cum una drachma extracti cicutae et totidem illius atropae belladonnae, et duabus drachmis unguenti seminum frigidorum. Vetere invenit utile percussiones bipennulae, ut scripsit Neapoli anno 1792. Hae vero caute fiant, ut vitale in-

citamentum excitent, et inflammationem affecti visceris non producant. Si omnia haec non valeant, aeger ad loca salubriora se conferat, ubi sunt aquae minerales acidulae, ferrugineae, catharticae, quae interno et externo usui inserviunt. Juvat enim eas bibere, et deinde linquere; juvant balnea thermalia, cum praesertim incitanda est nervosa sensibilitas; juvant etiam clysteres, et stillicidia super affectam partem. Quidam aliquo impetu stillicidia praecipiunt; sed hoc non est probandum, ut animadvertit Burserius, siquidem dolor potest excitari. Pro illis vero, qui ad aquas minerales se ducere nequeunt, componi possunt aquae minerales pro potu, balneis, clysteribus, stillicidiis adhibendae. Sed qui feruntur ad loca ubi aquae minerales scaturiunt, praeter harum aquarum majorem efficaciam, salubriori aëre et consortio recreantur, et parva itinera vel rheda, vel equo, vel pedibus conficiunt. Curationis autem tempore, saepe symptomata remedia postulant. Si superveniat diarrhoea, aut critica est, aut symptomatica. Si critica, linquenda, si sympto-

matica, et vires fractae, expediunt tonica, et adstringentia. Si contra alvus sit clausa, eccoprotica, ut in aliqua aperienti decoctione tartras potassae, et aliquod enema saponaceum. Si quis dolor excitetur in hepate, omnia stimulantia relinquantur, et fiant fotus, emplastra, clysteres emollientes. Si evolvatur phlogosis, instituatur antiphlogistica methodus, sed prudens, secundum scilicet varias circumstantias, viriumque statum. Tandem cum obstructio hepatis symptomatica sit, consideranda in primis est primarii morbi natura. Si itaque ab intermittentibus febribus nascatur, remedia esse debent antifebrilia, et deobstruentia: si a chlorosi, ferrum, ejusque praeparata: si ab affectione hypochondriaca, et hysterica, antispasmodica, et resolventia: etc. Sed ad obstructionem lienis descendamus.

§. 1417. Lien ob laxam structuram fluentibus liquidis facile cedit, durus fit et tumidus. Interdum magnus est, quin laedatur sanitas; sed si ad majus volumen perveniat, comprimit praecipua viscera; quae

a naturali positu removet, et per hanc mechanicam caussam plura affert incommoda. Nunc lienis tumor fugax est, nunc diuturnus, et ita lente crescit, ut tandem totum fere abdomen occupet. Non prompte inter initia obstructio lienis cognoscitur, idque praecipue nascitur ab illius functionis inscitia. Etenim relictis veterum hypothesibus, nihil certi a recentioribus habemus. Revera cur cum Heuson credendum est, lienem esse organon ad moleculas globatas sanguinis efformandas? cur cum Tiedeman, et Gmelin esse organon fere glandulare absorbenti systemati alligatum, ex cujus arteriis secernitur fluidum subrubrum, coagulabile, a vasis lymphaticis accipiendum, ut feratur in circulum, et chylo immisceatur? cur cum Moreschi esse viscus, quod in homine et in vertebratis animalibus digestionem ciborum adjuvet in ventriculo? Probabilior vere est opinio illorum, qui credunt, lienem hepatis functionibus famulari; sed quae sunt indubia argumenta ad hunc praecipuum usum exponendum? Ex hac itaque inscitia evenit, quod obstructionem lie-

nis animadvertimus, cum jam aliqua durities in sinistro hypochondrio compareat. Lienis obstructio lente gliscit, et cum spectabilior fiat, aegri sunt anxii, praesertim in lecto decumbentes; respiratio brevis; decubitus in sinistro latere facilior, quia si in dextrum latus jaceat aeger, persentit ponderis et distensionis sensum; dolor ut plurimum deest, et absque incommodo comprimitur lien; appetitus viget, sed digestio non facilis; in abdomine borborygmi, flatus, dolores; inficitur cutis calore luteo-viridi, et etiam in ipsa hinc et illuc maculae nigrae, et violaceae prodeunt. Modo lien scirrhosus fit, modo cancerosus, et tum dolores intolerabiles cruciant, continuae vigiliae, cibi fastidium, virium lapsus, consumptio, febris lenta. Dum lien ingens est et durissimus, saepe in abdomine cumulantur aquae. Membranae lienis interdum fiunt cartilagineae, et quia id frequentius contingit in hoc viscere, quam in aliis, inquit Baille, hanc affectionem ut specialem lienis esse habendam.

§. 1418. Quod diximus de caussis obstructionis hepatis, dicendum est de illis obstructionum lienis, aliorumque viscerum. Nullo negotio pueri lienosi evadunt, si male nutriantur, et ipsis dentur alimenta, quae coquere tenella aetas potis non est. Legi meretur historia infantis ob hanc caussam lienosi, quam Tom. II. pag. 480. refert Sauvages. Plures autem sunt substantiae, quae operantur in lienem: aliae imminuunt viscus, aliae adaugent, ipsique duritiem conciliant; aliae subvertunt. Ferrum extenuat lienem. Ait Celsus lib. IV. I. 16. = Aqua a ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde tinctum est . . . praecipue lienem coercet. Quod animadvertendum est in iis animalibus, quae apud hos fabros educata, exiguos lienes habent = Hoc confirmarunt experimenta a Soemmering in animalibus instituta. Contra acida, adstringentia, coagulantia facile faciunt lienem tumidum et durum. Quaedam autem, praesertim virulenta, structuram lienis vastant. In quadam juvene post partum mortua, quae ad abortum ciendum pharmaca sumpserat, cum dilecto a-

mico aetatis flore scientiis sublato Vinc. Cerasoli lienem observavimus consumptum, cujus exigua pars sphacelosa objiciebatur. In hoc casu abortiva pharmaca non uterum, sed lienem tentarunt, et ex toto perdiderunt. Cum lienis obstructio symptomatica est, plerumque a febribus intermittentibus oritur.

§. 1419. Cum obstructio lienis sit recens, non tam aucta, et ejus caussae non tam graves, non raro remediis discutitur; et ipsa natura id praestat, et si illa non adeo recens. Interdum enim resolvitur per urinas abundantes, nigricantes, crassas, desidentes; per fluxum haemorrhoidalem; per diarrhoeam serosam; per febrem; et etiam per inflammationem ipsam. Inquit Grottanelli op. cit. pag. 51. = Quare factum est, ut aliquando per novam splenitidem veterem lienis tumorem resolutum invenerim = Aliquando per metastasin, et tum circa articulos efformantur tumores. Subinde lienis tumor augetur, et imminuitur, idque tutius est quam in sua magnitudine persistat. Cum autem hujusmodi obstructio scirrhosa fiat, raro solvitur; et interdum transit in can-

crum. Raro lethalis est, et ubi portendat mortem, gravissimis stipatur symptomatibus, ut praegrandi abdominis volumine, hydropisi, extremitatum inferiorum oedemate, macie, maxima debilitate, haemorrhagiis halitu foetidissimo. Inter funesta signa ut plurimum est sanguinis vomitus; sed interdum imminutionem tumoris produxit. Lienis obstructiones inter palustrium regionum habitatores saepissime scorbutum, vomitum cruentum, et phthisin pulmonarem inferunt. Cum autem symptomaticae sunt, frequenter impediunt, quominus recuperetur perfecta sanitas; et interdum periculosae sunt. Illae a pertinacibus febribus intermittentibus productae non raro tam spectabiles sunt, ut ab ipsis hydrops, et tabes generetur.

§. 1420. In cadaveribus aut reperitur lien naturalis structurae, sed praeternaturalis consistentiae; aut monstruosae magnitudinis, et lapideae duritiei; interdum magnum viscus, et nigro sanguine plenum; interdum carnosam speciem ostentans; interdum scirrhosum, aut cancerosum; hydatides aut in cystidibus clausae, aut per superfi-

ciem visceris dispersae ; concretiones inaequalis superficiei, diversae magnitudinis et consistentiae, admodum visceri adhaerentes, variisque principiis conpositae. Inquit Pinel, secundum analyses concludi posse, hujusmodi concretiones efformari 1. ex quantitate satis copiosa materiei animalis ad se in gelatinam induendam dispositae ; 2. ex phosphate calcis cum exuberantia basis.

§. 1421. Ad curandam lienis obstructionem eaedem regulae ac pro illa hepatis observentur. Sed animadvertendum est, quod in lienosis facile explicatur scorbutus. Quocirca vix aliqua dispositio ad hunc prodeat, prompte usurpentur antiscorbutica, deobstruentibus non omissis. Utilia igitur erunt serum lactis depuratum ; succi et decoctiones plantarum antiscorbuticarum ; acida vegetabilia et mineralia ; et in escam substantiae subacidae naturae. Celebratur etiam cerevisia aut simplex, aut medicata. Hujus formulam exhibet Grottanelli op. cit. pag. 142. scilicet R. Cerev. lib. sex, Radic. raphani, Folior. cochlear. Nasturt. part. aequal. uncias duas. Post horas XXIV col. et add. Nu-

cis Moscat. drach. dimidiam, Corticis Winterani drach. unam, Sacchari unc. quatuor. Dosis ab unciis duabus ad sex et amplius. Postea, aut eodem tempore adhibenda etiam sunt tonica, inter quae praeparationes ferri. Cum obstructio lienis est symptoma alicujus morbi, ut scrophulae, rachitidis, febrium varii generis, ad horum morborum indolem curatio aptanda est. Si itaque a febribus intermittentibus oriatur, ut frequentius solet, remedia esse debent peruvianus cortex, ejusque praeparata, et deobstruentia. Utilitatem corticis contra Ramazzini argumenta victrici manu demonstravit Torti, ut notissimum est.

§. 1422. Obstructiones aliorum viscerum abdominis nec tam frequentes, nec tam perspicua sunt. Sectione cadaverum nonnunquam deprehenduntur renes volumine aucto, et scirrhosa duritie. Tales etiam interdum sunt glandulae atrabilares, quae aliquando ad renum magnitudinem perveniunt. Pancreas quoque naturali majus et durum. Illi in quibus tale erat, sub ventriculi fundo transversaliter pondus, et doloris sensum, et quandam stomachi invalentiam patieban-

tur. Non raro omentum volumine augetur, et duritiem cartilagineam, et scirrhosam assequitur; et interdum repertum fuit lapideum, et osseum. Intumescit etiam, et durum fit mesenterium. Ejus tumores profundiores sunt, et centrum abdominis occupant. Uteri physconia rara non est, et cognoscitur a tumore duro plus vel minus in hypogastrica regione extenso, et a laesis hujusce visceris functionibus. Saepe post plures partus uterus praeternaturalem molem adipiscitur. Sic ovaria interdum prodigiosam molem acquirunt. Ubi horum viscerum obstructiones cognoscuntur, juxta praecepta tradita curari debent. Et ubi nascuntur a collectione adipis, aquae, aëris, ut hydropes, emphysemata, polypionia curantur.

ORDO SECUNDUS

Cachexiae partium durarum

GENUS PRIMUM

Rachitis

§. 1423. Mollities et deformitas ossium rachitis est. Si igitur non sola spina, sed universum osseum systema affici potest, cur hic morbus vocatur rachitis ? Forsan Glissonius hoc posuit nomen quia flexus spinae est magis obvium symptoma, licet non inter morbi initia, sed tempore addito superveniat. Plurimi doctissimi viri rachitidem novum esse morbum judicarunt, utpote ante Glissonium non accurate descriptum. Inter hos fuit Boerhaave, ad cujus judicium Van-Swieten inclinat, ut Tom. 5. part. 2. pag. 209. hisce verbis patet. = Dum evolvo quae de rachitide collegi, vidi quod de hoc morbo nihil excerpserim ex veteribus medicis; unde saltem hoc concludere

mihi licebit, non adeo obviam esse rachitidis descriptionem in veterum medicorum monumentis, ut ab omnibus facile observetur = Nihilotamenminus omni loco, omnique tempore fuerunt distorti homines, et in osseo systemate deformes, licet rarius antiquis temporibus athleticae educationis caussa, quae homines reddebat robustiores, et aptiorem membris dispositionem impertiebatur. Insuper medici veteres loquuntur de spinae curvamine, ut Hippocrates in variis libris, Celsus in lib. 2. cap. 1., ut etiam scriptores ante Glissonium florentes. Reusnerus, ut observat Zeviani, in disputatione medica Basileae habita ann. 1582. dum disputat de morbo proprio infantum apud Helvetios, et Batavos, evidentissime loquitur de rachitide. Sic alii plures, inter quos est Joann. Bapt. Theodosius epist. 42. Quamvis vero rachitis, ut mihi videtur, morbus novus non esset, tamen primus, qui cum septem Angliae medicis circa medietatem seculi XVII. eam diligentius observavit, descripsitque, Glissonius fuit. Hinc illi, a quibus rachitis morbus novus, et in Anglia primum observatus credebatur, morbum anglicum rachitidem nuncuparunt.

§. 1424. Ut plurimum rachitis infantes corripit, praesertim circa dentitionem. Glissonius ad judicandum propendet, etiam foetum in materno utero rachitide laborare. Plures medici posteriores, et inter recentiores Boyer affirmant, plures infantes cum rachitidis symptomatibus in lucem venisse. Contrariam opinionem habuit Boerhaave, qui Aph. 1481. inquit = Infantibus ille nunquam connatus = Sic etiam alii Boerhaavianam sententiam adoptarunt. Interdum rachitis in adolescentibus, et adultis; rarissime in senibus evolvitur. Vidi in adolescente septendecim annorum acuminari sternum, adinstar illius avium; in sponsa decem et octo annorum tumefieri, et curvari tres vertebras spinae. Immerito igitur Girtanner asserit, rachitidem dumtaxat pueros, et non adultos, nec foetus in alveo matris aggredi. Certum vero est, quod hic morbus circa sextum et septimum vitae mensem, et etiam tertium, et quartum annum comparet.

§. 1425. Dividitur rachitis in completam, et incompletam; in veram, et spuriam; in simplicem, et complicatam; in spo-

radicam, et endemicam. Completa distinguitur a praecipuis symptomatibus, ut ossium obliquitate, musculorum relaxatione, difficultate, aut impossibilitate incedendi, etc; incompleta ab aliquibus: vera a characteristicis symptomatis; spuria ab apparentibus, ut marcore, tumore et distensione abdominis, tussi, etc; sicut illa est quae febribus autumnalibus supervenit, a Sydenham memorata: simplex a propriis tantum signis, caussisque; complicata a signis etiam et caussis aliorum morborum, ut vermium, syphilidis, scrophulae, scorbuti: sporadica a particularibus caussis, ut pravo lacte, alimento, domicilio, spurcitie, haereditaria dispositione; endemica ab influxu locorum et aëris, ut frigidi et humidi.

§. 1426. Saepe ante rachitidem quaedam observantur signa, quae ad hunc morbum proclivitatem ostendunt. Pueri enim qui videntur vegeti, sensim debilitantur, decolorantur, fiunt tristes, ludosque pueriles fastidientes, pigrescunt, et eorum carnes flaccescunt. Clarius deinde prodeunt rachitidis signa, ut articulationum nodi; caput ma-

gnum, et os frontale prominens ; suturae removentur, dilatantur fontanellae; oculi extantes ; venae, et arteriae colli turgidae, collum in ratione capitis subtile; dentes tarde exeuntes, postea nigrescentes et delabentes ; saliva ex ore fluens ; appetitus vigens et interdum vorax, et eodem tempore rachitici consumuntur ; dein ciborum appetentia imminuitur ; flaccescunt musculi, maxime extremitatum inferiorum ; tumet abdomen ; crebri ructus ; alvus modo clausa, modo soluta, et materiae foetidae, subvirides, subluteae, aut alimenta non concocta egeruntur ; urina aut cruda, aut turbida, aut acidum spirans, aut facile subsidens, et in subalbo sedimine vis ingens phosphatis calcis inveniri creditur, unde perturbantur ossa, quae sibi duritiem non comparant, emolliuntur, et curvantur ; flectuntur femur, tibia, fibula, radium, claviculae, spina in diversis punctis et directionibus ; prominet, et acuitur sternum ; costae deprimuntur, et earum extremitates ad sternum inflantur ; ossa pelvis deformia, obliqua, intus conversa, unde illius cavitas

angustatur. Ex hisce liquet, post prima symptomata ossa corripi, et inter initia articulationes tantum emolliri. Inter ossa autem illa extremitatum inferiorum praecipue perdunt eorum figuram, cui absque dubio corporis pondus, et musculorum actio contribuit. Haec ossa in statu sano aliquantisper curva, ubi numerosiores musculi sunt, in rachitide magis flectuntur. Non semper vero curvatura ossium in rachiticis illam naturalem sequitur, nec rationem qua musculi agunt in ossa, sed purus est effectus ipsorum ossium mollitiei. Dum perturbatur osseum systema, eo magis deperduntur musculorum vires, et hinc rachitici cum pedibus insistere nequeant decumbunt, aut sedent. Sed quo magis labefactantur corporis vires, eo magis illae intellectus roborantur; quamvis hoc constans non est. Saepe etiam improbi sunt, malevoli, mordaces, petulci, et usque ad vesaniam salaces. Praeter autem exposita symptomata, alia observanda occurrunt, ut anxia respiratio, et ravis in spiritum ducendo; tussis aut humida, aut sicca; vox raucà, injucunda; rugosa fa-

cies; cutis laxa et pendula. Tempore addito, venter magis tumet, et aëre impletur; hepatis volumen augetur, glandulae meseraicae obstruuntur, chylificatio et nutritio pessum eunt, unde consumptio, hydropes, animi deliquia, febris hectica, convulsiones, et mors. Sed saepe rachitis non progreditur, et tum non raro puer recolligitur, et sanitatem et vires recipit. Cum vero remaneat rachiticus habitus, et quaedam membra contorta, nunquam redit perfecta sanitas. Propter deformitatem ossium pectoris sistit laboriosa respiratio, ad haemoptysin, et phthisin pulmonarem propensio.

§. 1427. Plures sunt hypotheses a Glissonio ad nos cogitatione effictae ad caussam proximam rachitidis explicandam. Glissonius hanc posuit in frigida et humida intemperie spinalis medullae vitio juncta, quod affectat nervos originem extra cranium habentes, dum qui intra cranium nascuntur illaesi morantur. Post Glissonium alii defendebant, rachitidem oriri a venerea lue; alii ab hepatis obstructione; alii a physconia abdominis; alii juxta Platneri judicium a

peccante humore. Boerhaave autem multas alligavit caussas ut patet ex aphor. 1488. qui sic se habet = Caussa proxima mali cacochymia iners, mucosa, frigida, vappida, latente forte labe venerea permixta, cum laxa partium fabrica. = Contendit Zeviani, caussam esse humores insueta acredine foetos, a corruptione lactis inducta. Hac acredine rachitidis foenomena exponit; et hinc se jactat, mollitiei ossium caussam cognovisse, quam in redundanti aciditate collocat. Inquit insuper, hanc acredinem rodentem factam, et ad interiora ossium introductam, cellulas decomponere, in quibus clauditur medulla, et duram ipsam ossium substantiam exedere, et spinae ventosae originem praebere. Heine ann. 1792. evulgavit Gottingae dissertationem de vasorum absorbentium ad rachitidem procreandam potentia, in qua caussam proximam rachitidis in vasis lymphaticis posuit, quae non solum fluida absorbent, sed etiam solida, et horum absorptione aucta morbi foenomena explanat. Materies calcarea ossium dum continue absorbetur, alia ab arteriis deponitur; sed si vis

absorbens augeatur, deposita materies exhaustam non rependit, eoque deficiens in ossibus terrea pars, haec debilitantur, emolliuntur, curvantur. Hoc frequentius evenit in pueritia, cum ossa crescunt, et majore, quam adulta aetate, terrae quantitate indigent. Veirac parum a Zeviani distat, asserens, lactis aciditatem in puerorum stomacho sanguinem pervadere, et ipsam substantiam ossium arripere. Bonhomme autumat, rachitidem duas habere origines, nempe evolutionem acidi, quod propter suas qualitates acidis vegetabilibus, maxime oxalico, accedit, et defectum acidi phosphorici ex cujus unione cum terra animali calcarea nascitur ossium basis, et hinc eorum soliditas. Inquit Rosenstein, acidum esse caussam mollitiei ossium; et alii acidam cacochymiam mollire ossa, cum hisce terream substantiam subripiat. Alii autem inter nuperiores existimant, caussam rachitidis esse universam debilitatem; alii minorem quantitatem salium basi alchalina et terrea in ossibus, quorum soliditas ab animali glutine et phosphato calcareo dependet. Quisque vero per se videt,

alias inter hasce hypotheses esse ineptas, alias falsas, alias effectus pro caussa accipere, alias ad illustranda morbi foenomena non sufficientes. Ut igitur aliquid probabilius dicatur, prima et praecipua rachitidis symptomata expendenda mihi videntur. Haec uno eodemque tempore universalem atoniam, et humorum aciditatem declarant. Pueri enim etsi floridi videantur, fiunt languentes, pallentes, debiles, desidiosi, tristes; eorum musculi flaccescunt; et saepe urget appetitus vorax, qui oriri non potest, nisi ab aciditatibus, quibus ventriculus scatet, unde crebri acidi ructus, diarrhoeae materiatum acrium et subviridium. Progrediente morbo symptomata gliscunt; quae maximam debilitatem organorum digerentium, vasorumque, quae elaborationi humorum nutrientium famulantur, aperte demonstrant; proindeque appetitui voraci inappetentia succedit, pravae digestiones, nutritionis defectus, et humorum aciditates augentur, ut ab halitu foetido, et ab ipsa humorum dissolutione deprehenditur. Debilitatis caussa non satis in ossibus phosphas calcis secernitur, et si-

ne ordine distribuitur, unde eorum mollities, inaequalitas, obliquitas. Etiam Glissonius, quia ossa magis in una quam in alia parte nutritionem recipiunt, eorum curvaturam ab inaequali nutritione deducebat. Tandem, cum morbus usque ad febrem hecticam, et marasmum pervenerit, omnia foenomena maximum debilitatis gradum, et humorum aciditatis ostendunt. Probabilior igitur caussa proxima rachitidis mihi videtur esse solidorum debilitas cum acida humorum mutatione conjuncta. Haec autem aciditas non solum a foenomenis comprobatur, quae vitae tempore occurrunt, sed etiam ab his, quae post mortem observantur. Inquit Veirac, sanguinem rachiticorum post mortem effervescere, si liquori ammoniacae uniatur. Praeterea rachiticorum cadavera diutius, quam alia calorem servant.

§. 1423. Caussae quae ad rachitidem disponunt, sunt temperamentum debile, lymphaticum; scrophulosus corporis habitus; origo a parentibus rachiticis, debilibus, senescentibus, et aliquo gravi morbo laborantibus. Compertum est a matribus scro-

phulosis oriri prolem rachitide affectam. Animadvertit autem Glissonius, a molli hominum vita generari infirmos filios, et ad rachitidem paratos. Caussae vero occasionales sunt clima humidum et frigidum; pravum lac, ut nimis vietum, densum, serosum, aut praeparcum; non apta alimenta; spurcities; assidua linteorum humiditas, quibus involvuntur pueri; facere ut hi diu sedeant cum nudis extremitatibus inferioribus in perforatis sedibus; hos gestare brachiis sine cautione; repercussio impetiginum, ut tineae capitis, crustae lacteae, herpetis; nutrix venerea, rachitica, scrophulosa, scorbutica labe infecta, vino dedita, et animi pathematibus acta. Platnerus inter has caussas adnumerat detestabilem usum quarundam matrum arctare ventrem gestationis tempore. Insuper castratio ad puberem aetatem infert rachitidis speciem; eoque a Sauvages inter species hujusce morbi illa quae dicitur rachitis a castratione recensetur. Generaliter autem in eviratis dorsum est fere gibbum, genua tument, et divaricantur crura.

§. 1429. Quamvis rachitis esse potest levis morbus, et in sua progressione sistere; tamen saepe tam gravis est, ut si morte non terminetur, horribiles deformitates remaneant, quae saluti adversantur. Ut igitur scite praesagiamus, plura contemplari debemus, scilicet aetatem, caussas, symptomata, accidentia, anni tempus. Quo magis enim sunt pueri tenerae aetatis, eo gravius erit discrimen. Si post quintum aut septimum vitae annum persistat morbus, difficile curatur, et saepe quoad vita durat corpus permanet deforme, nisi aliquo modo juventutis tempore deformitates emendentur. Hae autem saepe luctuosae sunt, ut illae costarum, sterni, spinae, quae ad phthisin, aut aliam gravissimam affectionem disponunt. Puellae rachiticae, si nuptias ineant, gravi se objiciunt periculo, quia propter angustiam pelvis difficile parturiunt. Rachitis haereditaria raro sanescit. Sic si corripiat pueros a parentibus natos aliquo morbo, praesertim scrophula, et venerea lue affectis. Etiam periculosa est, si ab acuto morbo profecta. Facilius curatur, si caussae au-

ferri possint, ut pravum alimentum, immundities, insalubres habitationes. Cognoscitur autem major vehementia morbi, si ab initio appareant symptomata, quae in illius progressu occurrere solent. Interdum prompte augetur caput, et abdominis tumor; sed symptomata etsi gravia, flecti possunt, si hisce non addantur vitia pulmonum, aliorumque viscerum, et hydropes. Curvatura ossium quo grandior, eo aegrius corrigitur, et gravior est. Ubi tam est ingens ossium curvamen, ut aeger nec incedere, nec pedibus stare possit, et adsint hydropes cavitatum, asthma, diarrhoea, urinarum retentio, glandularum mesenterii obstructiones, convulsiones, febris hectica, marasmus, morbus incurabilis est. Inter autem symptomata sunt quae mortem vicinam monstrant, ut mutatio vultus, oculorum obscuratio, oedema pedum, foetidissimus halitus, convulsiones, spasmi. In decursu morbi saepe sanguinis sputum editur, quod frequentius a dissolutione sanguinis in rachiticis communi, et interdum a pulmonum vitiis producitur. Ab hac eadem dissolutione sanguis è

naribus exsilit. Alvi duritia est pessimum symptoma, si illa ordinate exonerabatur. Sed interdum, ut diximus, quamvis gravia sint symptomata, sistit morbus, redeunt vires, melior humorum conditio, nutritio restituitur. Complicationes alea plenae sunt, praesertim cum scrophula, scorbuto, syphilide. Sub istis enim complicationibus frequentiora sunt vitia gingivarum et oris; nigredo et caries dentium; tumores strumosi glandularum, ossium; dolores articulationum. Accidentia autem aut fausta, aut infausta sunt. Interdum rachitis per acutam febrem resolvitur, ut observatum fuit; interdum per impetiginum eruptionem, si ab hisce retropulsis ortum habuerit. Contra si lapsu frangantur ossa crurum, quod rachiticis ob ossium fragilitatem crebro evenit, statim amplior fit morbus, et graviora comparent symptomata. Tandem experientia demonstravit, rachitidem aestivo et sicco tempore curabiliorem esse, quam frigido et humido. Autumno autem et hyeme hujus morbi symptomata intensiora sunt.

§. 1430. Cadavera rachiticorum non ut alia tam cito frigefiunt, nec tam cito rigescunt. Ut plurimum cerebrum est majoris voluminis, et absque ulla mutatione; sed interdum naturali mollius, et in ventriculis magnam seri quantitatem continet. Venae colli sanguine turgent. Saepe pulmones adhaerent pleurae; et in ipsis inveniuntur tubercula modo dura, modo suppurata; et in cavitate pectoris aqua. Viscera hepatis, et lienis crebro flaccida, et volumine aucta; vesica fellis vacua, quod demonstrat, rachiticos, dum nudantur adipe, praesertim omenti, etiam orbari bile. Intestina pallida, albicantia, distenta aëre. Subinde glandulae mesenterii obstructae, subinde sanae. Vesica urinaria extensa; et per abdominis cavum diffusus latex. Musculi molles, extenuati, pallentes. Ossa generatim leviora, mollia, fragilia, spongiosa; quorum vasa dilatantur sanguine, et extremitates proferuntur, et turgescunt; color est ruber, sed ad fuscum vergens. Ossa vero cranii crassiora, et spongiosa; illa extremitatum aliis magis cedentia, et interni parietes, in quibus con-

tinetur medulla, tenuissimi. Plures invenerunt medullam in serositatem subrubri coloris conversam, et omnino illius naturae pinguis et oleosae, ut in statu sano, destitutam. Alii referunt, systema lymphaticum auctum, et in vasis lymphaticis materiam calcaream, et calcareas duritias in aliis partibus reperiisse.

§. 1431. Quisquis juxta positam doctrinam rachitidis curationem ordinat. Zeviani statuens pro caussa acredinem a lacte imperfecte subacto proficiscentem, quod canalem alimentarium, chyli vias, et deinde humores inficit, hanc acrimoniam esse tollendam, corrigendam, impediendam sustinet. Qui a sola debilitate solidorum oriri credunt rachitidem; non praecipiunt nisi tonica potissimum ferri praeparata: qui a defectu phosphatis calcarei in ossibus, hunc salem student intromittere: sic alii commendant absorbentia; alii diaphoretica; alii diuretica; etc. Sed quia probabilius videtur, ut demonstravimus, generari rachitidem et a solidorum atonia, et ab acida fluidorum mutatione; et quia in initio, pro-

gressu, et fine morbi extant symptomata peculiari animadversione digna, hinc remedia talia sint, ut vires solidis restituant, fluidorum vitium emendent, et symptŏmata flectant. Antequam vero eligamus remedia studiose excitantes caussae exquirendae sunt. Interdum hae tam facile amoveri possunt, ut ipso suo principio absque medicamentorum auxilio repellatur rachitis. Pluries vidi pueros, in quibus jam morbi signa apparebant, ab hoc recollectos sola lactis mutatione; aliosque illa coeli. Praeter hanc caussarum considerationem, inprimis investigandum est, an aliquod emeticum, vel purgans conveniat. Generaliter purgantia sunt emeticis anteponenda, et inter purgantia rhabarbarum, quod purgat, non infirmat, et obstructiones solvit. Sed ubi molestat nausea, desiderium vomendi, et ipse vomitus, dandum est aliquod ipecacuanhae granum cum saccharo, quod in cursu morbi saepe repetendum est. Ab abusu vero tam purgantium, quam emeticorum diligenter cavendum est. Non semper propter alvi siccitatem praeberi debent purgantia; sed cum a-

liquod incommodum pariat, injiciantur clysteres ex aqua calida cum melle, aut decoctione malvae cum sale, aut ex salito carnis jure. Etiam identidem magnesia juvat, praesertim cum aciditates in ventriculo et intestinis sistunt, ut crebri acidi ructus, vomitus materiarum acrium, dejectiones biliosae et virides ostendunt. Remedia autem pro indicationibus positis idonea, alia interna, alia externa sunt. Inter prima remedium praecipuum pharmaceuticum ens veneris est. Cum sit stimulans debilitati opponitur; cum particulis alchalinis componatur, aciditati humorum obsistit; cum sit substantia salina, vincit alvi duritiem, quae frequens est rachitidis symptoma, et urinae separationem proritat. Hoc utilissimum remedium repertum fuit a Roberto Boyle. Sub quotidiano hujus usu fibrae vigorem comparant, depuranturque humores. Syrupum cichorei cum rhabarbaro praemittere soleo; hinc per quindecim, aut viginti dies, matutinis horis, quatuor, aut quinque grana entis veneris exhibeo. Intermisso per decem aut quindecim dies hujus usu, syrupum re-

peto cichorei cum rhabarbaro, et mox per alios viginti dies eandem remedii dosim praescribo; et sic deinceps jnxta varios casus, et necessitatem pluries facio. Difficilibns pueris immittitur ens veneris in pulticulam, quae datur pro jentaculo; ant secnndum Boyle in aliquam aquam stillatitiam, aut vinum, aut cnm aliquo extracto exhibetur snb forma parvi boli. Medicamentnm autem quod propter suas vires enti veneris accedit flores salis ammoniaci martiales sunt, ut inquit Boerhaave Oper. chimic. part. 2. Utiliter etiam hujusmodi flores cum sale essentiali chinaechinae adhibentnr. Landes etiam meretur sapo venetns, utpote solvens, deobstruens, absorbens. Zeviani dnobus pueris rachitide confectis hunc saponem dedit quotidie ad magnitudinem ossis cerasi, quovis alio seposito medicamine, et intra paucas hebdomadas adnotabile ipsis adjumentum comparavit; hinc ad duos menses saponis usnm prodnxit, et utrosque pueros ad sanitatem restituit. Id fecit Zeviani ad suam confirmandam de aciditate doctrinam. Ultra haec qnae vere praecipua sunt, alia etiam medicamina pro va-

riis circumstantibus rebus possunt usurpari. Si itaque magna sit debilitas, tonica conferunt, ut ferrum, ejusque praeparata; oxydum zinci; cortex peruvianus, ejusque extractum; ratanhia; infusio baccarum juniperi, et illa herbarum aromaticarum, ut absynthii, centaureae minoris, scordii in vino; myrrha, etc: si promovendus sit sudor, sarsaparilla, lignum sanctum, et alia hujusmodi: si expurgandus sanguis, diuretica, ut decoctio quinque radicum aperientium, earumque syrupus, succus nasturtii aquatici etc. Post Leuret ob diureticam vim habita fuit maxime utilis rubiae tinctorum radix. Juxta illius observata, adhibetur haec radix ad drachmam quotidie pro decoctione; aut ad scrupulum, vel dimidiam drachmam cum saccharo, sub forma pulveris. Plures autem sunt nostris temporibus, qui propter rationem supra expositam credunt, inter praecipua rachitidis auxilia esse phosphatem calcis, et phosphatem sodae; sed quis persuasum habebit, quod solum phosphas calcis, et sodae ad restituendam in ossibus principiorum proportionem perveniant?

Quocirca necesse est hisce utilibus remediis flores salis ammoniaci martiales adjungere, qui valentissimum offerunt auxilium, ut jam observavimus. Insuper unusquisque auctor suum laudibus effert remedium, ut Storck cicutam: Laurenti Archiater Benedicti XIV. syrupum antirachiticum: Rosenstein ad reparandam penuriam bilis medicamen ex decem granis saponis veneti, grano fellis bovilli cocti, quinque granis radicis ari; formantur octo pilulae granorum duorum, quae pulvere cinnamomi sparguntur; quatuor ante prandium, quatuor ante coenam dantur. Disputatur, an in curatione rachitidis conveniat lac. Alii hoc commendant, ut Benevoli; alii vituperant, ut Zeviani. Mihi etiam videtur lac non esse adhibendum, non solum quia pueri frequenter laborant vermibus, sed etiam quia in pueris rachiticis aciditates in ventriculo fere nunquam desunt. Ubi autem existunt aliorum morborum complicationes, alia ministrare debemus, ut in illa syphilidis, mercurialia tonicis juncta; in illa scorbuti, antiscorbutica; in illa scrophulae, antiscrophulosa; etc. Remedia ex-

terna in rachitidem praecipue sunt frictiones, et balnea. Frictiones fiunt bis aut ter in diem super corpus aut pannis laneis simplicibus, aut vapore aromatico imbutis, aut sicca strigili: balnea hyeme ex vino aromatico; aestate ex aqua frigida; utraque praesertim musculorum systema roborantia.

§. 1432. Etiam pro curatione symptomatum alia interna, alia externa sunt. Saepe materies catarrhalis libertati respirationis obstat. Optimum remedium est aliquod ipecacuanhae granum cum saccharo identidem praebere, quod dum vomitum promovet, materiem catarrhalem expellit, et perspirationem auget. Si pertinax sit alvi durities, eccoproticis, clysteribus laxantibus superatur; sed ubi magna est debilitas, praefero remedium Storck, scilicet subtilis ferri scobis grana quinque, totidem rhabarbari in pulverem redacti, sacchari grana centum. Datur mane et jejune, atque vespere una hora ante coenam. Si vero ventrem solvat, semel porrigatur in die. Hoc remedio non solum vincitur alvi compressio, sed etiam acquiruntur digestionis vires, et calor; et

musculi firmiores fiunt. Ubi egeruntur materiae biliosae et foetidae, eligatur purgatio levis ut manna; sed ubi fluxus ventris immodicus est, rhabarbarum torrefactum. Rachitici saepe laborant doloribus, et vigiliis; et ideo in usu hypnotica sunt. Sed inquirenda est horum dolorum, et vigiliarum caussa. Si sint aciditates et vermes, et aliae gastricae impuritates, juvant purgatio, praesertim oleum amygdalarum dulcium, absorbentia, anthelminthica. Nutrices ad placandos fletus saepe saepius ubera pueris concedunt, quod auget indigestionem et coagulum lactis; et symptomatum saevitiem. Ad laterales dolores, praesertim pectoris fotus, hirudines, cucurbitulae auxilio sunt. Si affectiones catarrhales pectoris rebelles sint, praeter pectoralia, et resolventia, admovenda sunt vesicantia, et etiam fonticuli. Si in cavitate aliqua efformetur hydrops, auxiliantur diuretica, maxime in pueris, cum in ipsis absorptio admodum actuosa sit. Difficile vero resolvitur hydrops ventriculorum cerebri, ubi non resorbentur humores, ut in illis partibus, in quibus membranae

sunt vasis absorbentibus ditatae. Si in mesenterio obstructiones adsint, dentur deobstruentia cum exiguis dosibus rhabarbari, et super abdomen frictiones mercuriales fiant. Mentem etiam intendere debemus ad ossium obliquitatem. Horum directio est naturae operatio, sed ars naturae operationem adjuvat. Praecipua remedia, quae opem ferunt supra exposuimus; sed plures ad ossium flexum corrigendum machinamenta ferrea, aut alia instrumenta utilia credunt. Haec vero ut plurimum vidi infructuosa, aut nocua, et admodum incommoda, si excipiantur ocreae, et laminae ferreae. Hae in puellis inaequales homoplatas habentibus absque incommodo ligaminibus aptantur; nam dum abscondunt vitium, et respirationem non impediunt, utiliter os comprimunt. Sic pro pueris, in quibus curvantur ossa extremitatum inferiorum, ne magis incessu vitientur, et deformentur ocreae ex duro corio idoneae sunt.

§. 1433. In curatione rachitidis res est magni momenti diaeteticum regimen dirigere. Pro lactanti puero bonum sit lac, et hujus quantitas nec nimia sit, nec parca.

Nimia indigestiones et coagula, parca consumptionem parit. Inter haec vitia, primum periculosius est. Hoc probat Graecorum et Arabum usus, qui ter in diem lac pueris concedebant, et ante lac aliquantum mellis, ad praecavendum illius coagulum, et purgandum alvum; et ita infantes robusti adolescebant. Pro pueris vero lacte depulsis, victus sit nutriens, siccus, et aliquo aromate conditus. Dentur itaque juscula, ova sorbilia recentia, gelatina pedum vituli, assatae carnes, pisces, panis optime fermentatus, et coctus; pro condimento pulvis cinnamomi, nux moscata, macis. Fugiantur pinguia, farinacea, esca lactea, fructus. Potio sit aqua purissima cum austero et inveterato vino, et post pastum aliquantisper meri. Prudenter autem corporis exercitatio disponatur. Cum enim ossa corporis pondus sustinere nequeant, nec pedibus insistant pueri, nec iter faciant; sed permittente anni tempore, trahantur curru per apertum aërem, secus per cubicula. Non assideant mollibus sedibus, sed aequaliter resistentibus. Cum ambulare incipiant, id paullatim

faciant, et alicujus adstantis auxilio. Sed donec ad hanc exercitationem impotentes sunt, consideant lectulo, aut sessibulo, cum erecto capite pulvinari incumbente. Purum, salubrem, et siccum aërem respirent.

§. 1434. Cum rachitidis adeo metuenda sit valetudo, enixe curare debemus, ut aggressus ejus cohibeatur. In primo ideo deligenda est nutrix juvenis, integra, valens, bene composita, candidis dentibus, bonoque halitu praedita, morata, animi motibus non concitata, quae è mammillis emittat lac fluens, album et ad colorem coeruleum vergens, dulce, jucundum, cujus si qua gutta excipiatur vitro, nec huic nimis adhaereat, nec nimis praeterfluat. Naviter autem conservetur nutricis sanitas, bonaeque lactis qualitates congruentibus alimentis, et modica corporis exercitatione sub aperto coelo. Utile etiam est rure educere pueros, ubi prospere agat salubris aër. Pueri autem non adstringantur fasciis, ne praeter alia mala flectantur claviculae; nunquam partibus inferioribus denudatis morentur in perforata sede; decumbant in sicca culcitra,

vel straminea, vel equinis crinibus infarcta, quae ponderi corporis non cedat. Tandem nutrices attentissime infantes gerant, ne curventur genua, aut in unam partem inclinet corpus, quod frequenter evenit, si semper eodem brachio eos sustineant.

GENUS SECUNDUM

Spina ventosa

§. 4185. Spina ventosa est substantiae osseae dilatatio, plus minusve spectabilis et dolens, ab inflammatione medullae ut plurimum genita, eoque etiam tumores, abscessus, fistulosi sinus circumpositarum partium, et ossium caries oriuntur. Disputatur quoque de hoc morbo, an Graecis et Romanis notus esset; sed si absque praesumptione judicari velit, mihi videntur veteres, hunc morbum a medulla primitus affecta venientem ignorasse. Probabilius primi fuerunt Arabes, praesertim Rhaze, qui eum descripsit, appellavitque spinam ventosam propter

pungentem dolorem, quem aegrotantes intra ossa patiuntur, perinde ac adesset acutissima spina, et propter spugnosum ossium tumorem, quasi a vento productum. Deinde M. Aurelius Severinus, a quo hic morbus pueris familiaris, et crebro articulationes corripiens, dictus fuit παιδαρϑροκάκη, scilicet morbus puerorum circa articulos. Ergo spina ventosa Arabum, et pedarthrocace Severini sunt una et eadem affectio. Immerito creduntur duae specificae differentiae, scilicet spina ventosa ab acuta inflammatione medullae; pedarthrocace a chronica medullae ipsius inflammatione provenieus. Etenim utraque affectio ab eadem inflammatione nascitur; lente progreditur; praesefert eandem indolem. Nos itaque et ob diversitatem loci, et aliquantulam symptomatum differentiam, non ut species, sed ut varietates ejusdem affectionis, spinam ventosam et pedarthrocacem considerabimus. Olim spina ventosa a pluribus auctoribus cum ossium carie, exostosi, et ossium cancro confundebatur.

§. 1436. Explicatur ut plurimum spina ventosa in pueris, et adolescentibus, et

corripit ossium corpus, seu diaphysin, praesertim extremitatum superiorum et inferiorum. Adoritur ut plurimum acutis doloribus in interna parte ossium, et cum hujusmodi cruciatus perseveraut, os tumefit, elevatur; hic osseus tumor eo magis augetur, quo magis cruciant tormenta, et totam ossis circumferentiam occupat. Aliquando evenit quod minuuntur, et absistunt dolores, et tum tumor non progreditur, non cohibentur membri motus, nec partes molles alterantur. Ut plurimum vero ferociunt dolores, et tumor fit magnus, enormis; inflammantur partes molles circumstantes, exulcerantur, et purulenta et ichorosa materies manat; generantur fistulosi sinus; os in pluribus partibus carie afficitur. Per fistulosos hiatus usque ad ossis cavum penetratur specillo. Saepe cum exulcerantur partes, suscitatur febris, quae brevis est et inordinata. Morbo ampliore reddito, copiosior est materiarum ichorosarum et foetentium fluxus; dolores implacabiles; margines fistulosorum hiatuum versus interiorem partem tumoris vertuntur; deest appetitus, et somnus; febris fit hectica; de-

format tabes, et alia colliquationis symptomata conficiunt. Non semper vero in ipso suo principio spina ventosa patescit, quia non adhuc detegitur tumor; sed cum hic panditur, et ossis circumferentiam possidet, non solum natura morbi, sed etiam ab exostosi discernitur, quae in uno circumferentiae ossis puncto circumscribitur. Spina ventosa ob tumoris volumen, et osseam consistentiam cum osteosarcomate confundi potest; sed illius cursus longe lentior est, dum osteosarcoma licet lentum, citius tamen et doloribus magis constantibus et acutis lugubrem finem attingit.

§. 1437. Pedarthrocace infantes aggreditur, et protuberantiis ad extremitates ossium continetur. Hae protuberantiae sunt fere indolentes, aut obscuris doloribus affectae. Lento gradu morbus gliscit, et conservatur partis motus, donec per tumorem a suo positu non removentur tendines. Sensim distenditur cutis, quae rubra fit, et dolens; mox supervenit abscessus, qui sponte repanditur, et efformantur fistulosi sinus, qui materie purulenta et saniosa manant. In-

terdum paullo post formationem ulceris, hoc videtur ad cicatricem tendere, et obduci; sed iterum recluditur, morbusque progreditur. Succedit caries, et ossis extremitas cum articulatione deformis et monstruosa evadit; saepe expergiscitur febris hectica; consequitur macies, et mors.

§. 1438. Caussa proxima hujusce morbi est ossium medullae inflammatio, ex qua ipsa medulla depravatur; hinc imminuitur laminarum ossearum cohaerentia, et inter spatia mucosi et oleosi humores cumulantur, eoque ossium substantia expanditur, et partes molles circa tumorem positae, pro hujus ratione distenduntur, inflammantur, ulcerantur. Caussa praedisponens in corporis constitutione et aetate invenitur. Etenim magis ad spinam ventosam proni sunt debiles, et humorum vitiis laborantes; pueri, et adolescentes, sed natu grandioribus non omnino exclusis, ut credit Severinus, aliique. Juxta enim auctorum observata interdum adulta aetas huic morbo obnoxia est. Nunquam vero mihi videtur spina ventosa in senili aetate progigni; ideoque falsam cum Hoffman-

no judico opinionem Heynii, qui in dissert. epist. de spina ventosa inquit, omnem aetatem ad hanc affectionem esse paratam. Caussa occasionalis est vitiosus humor, qui medullam ossium invadit, stimulat, et inflammat. Hic autem humor modo absque praegresso morbo, modo post alium morbum, ut scrophulam, syphilidem, rachitidem, exanthemata, impetigines, inveterata ulcera coercita, generatur. Plures vero sunt scriptores, qui arbitrantur, spinam ventosam non esse nisi consecutionem scrophulosae diatheseos; plures venereae, inter quos est citatus Heynius. Verum ut indubium est, quin hae et aliae diatheses occasionem dent spinae ventosae, ita falsum est, hunc morbum esse unius vel alterius diatheseos corollarium. Saepe enim inflammatur medulla ossium ab internis caussis, nulla extante diathesi, et iterdum in praedispositis pueris ab externis injuriis, ut a fracturis, contusionibus, etc.

§. 1439. Ab observatione cadaverum, et pathologicis fragmentis, quae in musaeis anatomicis custodiuntur, ossium notantur inae-

quales tumores; hiatus, dilatationes laminarum ossearum; spatia saepe substantia tophacea, et cartilaginea repleta; novae osseae productiones; caries aut in interna parte tumoris, aut circa aperturas; medulla admodum depravata, et in substantiam molliculam conversam, quae in vivente modo est fere rubra, modo luteola, modo cineracea, modo lardacea, et rancidum odorem spirans: in pueris maxima expansio substantiae osseae in articulationibus; et inter laminas osseas non cohaerentes, et inter earum spatia humorum muccosorum et oleosorum quantitas ingens.

§. 1440. Utraque varietas periculosa est, sed magis spina ventosa, ut et rarior. Interdum consistit morbus, et plus per naturam, quam per artem consanescit, idque in puerili aetate potissimum usuvenit; saepius vero progreditur, et ad servandam aegri vitam amputatio partis necessaria est, quae si negligeretur, aut ob rationem situs fieri non posset, inciperet febris, et mors consequeretur. Saepissime spinae ventosae tormenta intolerabilia sunt; sed haec notabili-

ter placantur cum materies ex interna ossis parte ad externam sibi per fistulosum hiatum sternit viam. Haec vero materies, quae in substantiam cellulosam ossium effunditur, eam inflat, emollit, rodit; et dum exterius tumores producit in suppurationem abeuntes, carie afficit ossa. In hoc autem morbo disjunctio partium mortuarum a vivis perdifficilis est; nec ossa ut in necrosi reproducuntur. Aliquando etiam accidit, quod dum spina ventosa partes tenet, per quas magna vasa et nervi reptant, qui comprimuntur, eaedem partes inferius macrescunt, et paralyticae fiunt.

§. 1441. Diversas rationes pro spinae ventosae curatione arrogatas, quae magis nocuae, quam utiles sunt, non referam. Illa Boerhaaviana celebrior erat, quae in copiosis potionibus, sudoriferis, suffitionibus quae ad promovendos sudores sub operimentis dirigebantur tubo, frictionibus, et repetitis purgantibus consistebat. Alia etiam a pluribus commendatur, scilicet incisiones, ut spina ventosa detegatur, et per ossium parietes usque ad cavitatem penetretur ter-

rebra, et hinc incitantia remedia, et etiam actuale causticum introducatur. Nos autem judicamus, recte curationem institui non posse, nisi de morbi origine, etsi obscura, aliquid ratione colligamus. Nasci saepe videtur morbus a solidorum debilitate, et fluidorum vitiis, et tum proficua deprehenduntur praeparata ferri, et aquae minerales ferrugineae, decoctiones carnis vitulinae, ranarum, hordei Germaniae, sarsaparillae, radicis chinae, stipitum dulcamarae, etc. Si autem nascatur ab aliqua diathesi, varia esse debent auxilia, secundum illius naturam. Quoad autem externa, si possibilis sit resolutio, eligantur resolventia, ut cataplasma cicutae; stillicidia; litus mercuriales, praesertim si morbus ortum habeat a syphilide, cum etiam interius mercurius expedit; fomenta humida ex decoctione corticis quercus; etc. Sed ubi resolutio sperari non potest, conveniunt emollientia, quae dolores mitigent, et materiarum saniosarum fluxui faveant. Efformati abscessus, cum maturationem emollientibus comparaverint, aptioribus locis aperiendi sunt, et ad necessi-

tem tractandi ; sinus fistulosi, ubi fieri potest, dilatentur; simpliciter medicetur ulcus; et ubi convenit adhibentur mitia escharotica, qua ad producendam ossis exfoliationem naturae auxiliantur. Usus vero ferri et caustici, ut detegatur os, et ipsius ossis corrosae partes separentur, maximam sagacitatem expostulat; et saepe adsciscі non potest, quia spina ventosa saepe in articulationibus sedet, ubi vasa, nervi, tendines, et ligamenta complicantur. Tandem ubi nihil adjumentum affert, ad amputationem veniendum, quae cum morbus ad insignem gradum pervenerit, dolores sunt acerbi, vigilia, macies, febris ad naturam hecticae vergens, continuus per hiatus foetidissimae materiae fluxus, retardanda non est, secus impossibilis redderetur. Spina ventosa, quae praesertim amputationem reposcit, illa est quae ossa in eorum facie articulari, calcaneum, et cubitum aggreditur.

GENUS TERTIUM

Osteomalacia

§. 1442. Osteomalacia, ut ipsum nomen indicat, est ossium mollities. Etenim ὀστέον os, μαλακία mollitiem significat. Quidam scriptores, ut Boyer, Richerand, aliique, loquuntur de ossium mollitie, et de rachitide, ut idem essent morbus; sed inter utramque affectionem maximum est discrimen. Nam non solum rachitis corripit praesertim pueros, et osteomalacia homines ultra mediam aetatem; sed etiam a prima gradatim curvantur ossa, dum inflexibilia remanent; a secunda uno temporis momento, quavis directione flexibilia fiunt, et nullo negotio incidi possunt et dividi. Propter hanc simplicem mollitiem ossium distinguitur osteomalacia ab osteosarcomate, a quo non solum molliuntur ossa, sed eorum qualitates perduntur. Discriminari etiam debet haec ossium mollities ab illa ossium fragi-

litate, quae potissimum in affectis syphilide, aut rachitide deprehenditur.

§. 1443. Osteomalacia ossium doloribus incipit, quae naturalem duritiem deperdunt, et evadunt flexilia; et per crescentem ossium mollitiem membra suscipiunt varias figuras; dimittunt urinae adnotabilem quantitatem phosphatis calcis; et propter minorem hujus copiam, ossa leviora fiunt, et decurtatur corpus. In hoc morbo deficit absque dubio materies terrea ossium, sed diversis proportionibus, quas praefinire haud promptum esset. Cognita sunt quaedam experimenta a Bostock instituta, qui examinavit vertebram dorsalem mulieris, cujus ossa post mortem reperta fuere mollia et flexibilia. In una ossis parte invenit, materiem terream ad quintam partem sui ponderis ascendere; in alia ad octavam: dum proportio in ossibus sanis medietatem eorum ponderis superabat.

§. 1444. Discrepant auctorum sententiae circa caussam proximam hujusce affectionis; nam alii eam ponunt in defectu phosphatis calcis, a quo ossium soliditas de-

pendet; alii in incondita partitione hujus materiei per osseum systema ; alii in absorptione inordinata ejusdem. Mihi autem videtur haec caussa esse tam prompta phosphatis calcis absorptio , ut principium gelatinosum ossium ad eum retinendum non perveniat : hinc phosphas calcis adeo avide haustus a renibus cum urinis secernitur, a quibus copiose deponitur. Obscurissimae autem sunt caussae remotae ; sed experientia edocemur , osteomalaciam fere nunquam juvenes , sed homines , praesertim foeminas, ultra mediam aetatem corripere. Videtur igitur aliqua constitutionis conditio ad hanc extricandam affectionem admodum contribuere. Plures sunt qui existimant , caussas occasionales esse veneream luem , aut alia vitia ; sed in quibusdam , quorum leguntur historiae , nec venereae luis , nec aliorum vitiorum comparuerunt signa. Indubium vero est , quin homines syphilide detriti, magis osteomalaciae obnoxii sint.

§. 1445. Hic morbus feralis est. Historiae usque ad nostra tempora narrant, mortem esse ejus finem; et nullam esse curatio-

nis methodum, quae hunc valeat impedire. Remedia interna ad corrigenda humorum vitia effectu carent. Usurpanda vero sunt adstringentia, quae dum principium gelatinosum ossium condensant, faciunt, ut hoc magis phosphatem calcareum retineat; sic tonica, ut imminuatur debilitas, quae communiter in illis observatur, qui osteomalacia vexantur.

GENUS QUARTUM

Exostosis

§. 1446. Exostosis est graeca vox, quae denotat osseum tumorem supervenientem ossibus exterius, quamvis etiam interius possit efformari. Non datur os in quo exostosis non effingatur; sed saepius in ossibus cranii, inferiore maxilla, claviculis, sterno, costis, humeris radiis, ulnis, ossibus carpi, femoribus, tibiis. Exostoses quoad figuram, extensionem, et ipsam eorum naturam differunt. Figura enim est sphaerica,

styloides, pyramidalis, longitudinalis. Modo autem extenduntur per partem superficiei, modo per totam superficiem, modo per circumferentiam, modo per ipsam internam substantiam ossium. Tandem nunc durissimae sunt, nunc friabiles, nunc cellulosae, in quarum spatiis adest materies gelatinosa, pultacea, nunc sphaericae et duris parietibus instructae, sub quibus est cavitas carnosis vel fungosis vegetationibus infarcta.

§. 1447. Exostoses in veras et falsas dividuntnr. Primae sunt purae et durae exuberantiae osseae; secundae sunt ossium extensiones, in quibus variae materiae continentur. Praeterea aut sunt idiopaticae, aut symptomaticae. Primae nascuntur a caussis, quae directe et primitus operantur in ossa, ut lapsus, ictus, vulnera; secundae ab aliis morbis, ut a lue venerea, scrophula, scorbuto, rachitide. Dicuntur autem acutae cum prompte efformentur, et praecedant acuti dolores a morboso processu producti, a quo ossium textura immutatur, et febris movetur, ut sunt exostoses cellulosae aut laminis compactae; chronicae cum lente effingantur,

et interdum adnotabile volumen adipiscuntur, non praecedunt dolores, aut mites sunt, ut exostoses durae.

§. 1448. Arduum non est exostoses cognoscere, quae in externam ossium superficie nascuntur, a tumore duro, plus minusve extenso, immobili, dolente aut indolente. Id autem impossibile est, cum internam ossium alicujus cavitatis superficiem occupant. Vix quaedam ambigua signa de earum existentia in suspicionem mittunt. Ratione autem praesumi potest, exostoses duras et chronicas materiem consistentiae fere eburneae continere. Illae vero acutae, quae tanta rapiditate evolvuntur, dum mutant et subvertunt ossium substantiam, et febrem inferunt, partes molles distendunt, irritant, inflammant. Ex hoc ipso acuto incessu suspicari possumus, eas esse cellulosae et cavernosae naturae, et diversis materiis adimpleri. Exostoses idiopathicae distinguuntur a natura caussarum, et a defectu symptomatum, quae praesentiam aliorum morborum ostendunt; ex adverso symptomaticae ab horum morborum signis. Si proveniant a lue

venerea, ut plurimum surgunt in ossibus cranii, et in tibiis; praecurrunt acerbi dolores intra ossa, qui deinde haerent, ubi exostoses sunt erupturae, et noctu graviores sunt: si a scrophulis afficiuntur partes spongiosae ossium, et dolores immensi praegrediuntur.

§. 1449. Caussa proxima durae et chronicae exostosis est materiei osseae collectio; acutae est inflammatorius vasorum motus, quae per ossium texturam transeunt, unde immutatur textura ipsa, dissimilesque generantur materiae. Quidam sunt exostosibus dispositi, quia caussae etiam levissimae ad eas explicandas sufficiunt; idque probabiliter ab aliquo interno vitio nascitur. Exostoses idiopathicae ut plurimum ab externis caussis oriuntur; symptomaticae ab internis, ut a syphilide, scrophula, scorbuto, rachitide, podagra. Cum in exostosibus repertae fuerint hydatides, hae illarum fuisse caussae credebantur.

§. 1450. Exostoses idiopathicae non facile resolvuntur, et quoad vita vivitur saepissime remanent. Generatim exostoses durae

minus periculosae sunt; et earum discrimen dependet a loco, ubi sedent. Possunt tamen in necrosin abire. Exostoses cellulosae omnibus ominosiores sunt, praesertim si ossium textura ingentem subiverit mutationem. Rapidus harum incessus, praecipuarum functionum laesio, febris faciunt, ut non aliam, nisi in membri amputatione, spem habeamus. Exostoses cavernosae, quae carnosas et fungosas vegetationes includunt, non tantae aleae sunt, cum basis harum vegetationum destrui possit. Interdum tamen in magnum conjiciunt discrimen, et ad exulcerationem parantur. Si autem exostoses symptomaticae sunt, earum praesagium ab ipsis primariis morbis trahitur. Etenim si venereae sint, actione mercurii resolvi possunt: scrophulosae magis rebelles sunt; siquidem ad subigendas scrophulas non cognoscitur tam praesens remedium, ut mercurius, et ad suppurationem et cariem pronae sunt: scorbuticae etiam facile transeunt in suppurationem et cariem, et ichorem foetidissimum emittunt: si cancerosae, exulcerantur partes molles, et cito ossa afficiuntur carie. Exosto-

ses autem varios periculosos exitus habere possunt, ut suppurationem, cariem, necrosin, osteosarcosin, exulcerationem. Ab exostosi quae fit dolens tales exitus timendi sunt. A vario situ quem exostoses obtinent sunt plus vel minus graves. Quae formantur in interna superficie ossium cranii luctuosos effectus in meninges et cerebrum inferunt : quae in cavitate orbitae, oculum comprimunt, lacessunt, inflammant, ejusque motum impediunt, et detrudere bulbum pertentant. Exostoses resolvi possunt, aut imminui. Inquit Boyer, parum hanc resolutionem intelligi, et minus illam per metastasim. Sic sentiunt, qui exostoses credunt inorganicam calcis congeriem, ubi vasa absorbentia nullam actionem exerunt. Sed imminutiones et resolutiones exostosum negari non possunt; idque, nisi qua esset vasorum absorbentium actio, unde calcareae particulae ab arteriis secernentibus depositae haurirentur, contingere quidem non posset.

§. 1451. Exostoses natae a lapsu, ictu, vulnere fere nunquam resolvuntur; et remedia quae resolvendi vim habent, ut plu-

rimum irritant. Nihilominus tentanda sunt quae nunquam nocent, ut cerata ex cicuta, mercurio, substantiis gummosis et saponaceis, stillicidia. Quae veniunt ab interna caussa, secundum naturam hujus curantur. Si itaque sunt venereae, subveniunt tam exterius, quam interius mercurialia, et diaphoretica; sed interdum subacta caussa, constantes et innocuae remanent exostoses. Sic dicendum est, si sint scrophulosae, rachiticae, etc. Sed quaevis sint exostoses, saepe necesse est, eas evellere. Etenim aut nimis augentur, et deformant, et impediunt membrorum motum; aut tam progrediuntur, ut ad auferendas corruptas partes solidas ut et molles adigant. Dum exostoses cellulosae sunt cum acerbis doloribus, et degenerata ossea textura; exulcerantur integumenta, et abundans suppuratio pravae indolis; adest jam caries, et febris, ad amputationem membri veniendum est. Si exostosis habeat angustam basim, parva serra resecatur. Si sit in aliquo osse cranii, partes molles in modo crucis finduntur, ut detegatur; circa basim periostium separatur, et hinc acuta et

subtili serra rescinditur. Pro extensa exostosi scalpellum et malleus adhibebatur, os detinendo, et validas concussiones, quantum fieri poterat, praesertim in caput, evitando, ne funestae commotiones inducerentur; et ad effugiendam harum concussionum violentiam, in obliquum dirigebatur scalpellum. Modo vero anteponitur serrae methodus. Exostosis enim extensa a summitate ad basim in diversas partes resecari potest, quae deinde singillatim scinduntur. Haec methodus praeferenda etiam est excavationibus, quae perforanti terebra fieri solebant. Ablata exostosi, examinandum est, an adsint reliquiae, ignito ferro destruendae; ut etiam an carie afficiatur os, ubi exostosis aderat, siquidem necessum est scalpello infectum adimere, et hinc actuale cauterium apponere, ut omnes morbi reliquiae deleantur. Exostosi eversa, incipit os carnosis globulis contegi, qui bonae cicatricis fundamentum sistunt. In curandis exostosibus saepe comprimendi sunt ingentes cruciatus, quod substantiis emollientibus, sedantibus, et narcoticis perficitur.

GENUS QUINTUM

Necrosis

§. 1453. Necrosis, νέκρωσις, si de ossibus loquamur, est horum substantiae mortificatio. Veteres necrosim a carie distinguebant. Nomine enim necrosis exsiccationem et nigredinem mortuae substantiae ossium; illo autem cariei substantiae vivae ossium exulcerationem intelligebant. Posteriori vero aevo utraque affectio confundebatur, et necrosis appellabatur sicca caries. Tandem recentiori tempore non solum una fuit ab alia divisa, sed etiam accuratissime fuerunt differentiae, maxime quoad sedem, observatae; nam necrosis magis ossa lata, et oblongorum ossium mediam partem; caries spongiosas extremitates corripit. Praeterea in necrosi laminarum ossearum vita carentium separatio contingit, quae dicitur exfoliatio.

§. 1454. Variae sunt necroseos differentiae. Dicitur enim necrosis acuta, quae rapide arripit ossa, et in partibus mollibus

inflammationes, suppurationes, fistulas producit, commovet febrem, et ad consumptionem et mortem trahit; chronica quae, dum demortuum facit os, et hujus demortuam partem intra vivam substantiam includit, et deinde illam refigit et expellit, lento gradu procedit; simplex, si unum aggreditur os, et bona de cetero est valetudo; composita, si plures partes unius ossis petit, aut eodem tempore plura ossa, et etiam per alias caussas infirma salus est.

§. 1455.. In cursu necroseos tres periodi, totidemque particulares circumstantiae a nuperioribus statuuntur. Prima periodus continet mortificationem ossis, cum scilicet caussarum morbosarum actione paullatim extinguitur ossis vita; secunda exfoliationem, seu separationem partis mortuae a viva; tertia disjunctionem et expulsionem hujusce mortuae partis. Distinctio periodorum recta est utpote ab ipso morbi processu demonstrata; sed non aequali concinnitate determinari possunt tres praenunciatae circumstantiae, quae sunt 1. cum necrosis solum os corripiat; 2. cum eodem tempore os et pe-

riostium externum, aut internum obsideat; 3. cum os et involucra afficiat.

§. 1456. Quovis vitae tempore ossa, eorumque partes affligi possunt necrosi; sed ut diximus magis ossa plana, et oblongorum ossium corpus; siquidem in compactioribus partibus minor est vitalis vis, dum substantia spongiosa, quae facilius labefactatur carie, majore vitali efficacia pollet. Ossa igitur, quae magis necrosi vitiantur, illa sunt cranii, tibia, humerus, femur, maxilla inferior. In ossibus autem cranii externa tabula plerumque corripitur. Incipit necrosis doloribus plus vel minus violentis; hinc tumefit et inflammatur pars; mox mollescit tumor, et fistulosi hiatus efformantur. Interdum rapide extruitur tumor; interdum gradatim, quia morbi cursus propter varias caussas, aetatem, temperamenta differt. Cum tumor sensim augeatur, dolor mitior est; contra acerbior, cum festinanter amplior fit. Crescit, et ampliatur tumor, donec materies exit. Cum inflammatio acuta est, cito componitur et colligitur bonae qualitatis pus; cum vero est lenta, tarde aggregatur pus,

non omnibus numeris absolutum. In acuta inflammatione cum abscessus sunt prope pellem etiam inflammatam, cito rumpuntur; sed in chronica, et cum plures partes molles ambiunt ossa, materies paullatim collecta sibi per cellulosam substantiam sternit iter, et efformantur sinus, qui, cum eorum margines considerabiles et callosi sunt, fistulae dicuntur. In periodis autem necroseos praeter inflammationem, suppurationem, sinus, fistulas, adnotanda sunt particularia foenomena, inter quae in initio febris est inflammatoriae indolis, quae materia composita imminuitur, et etiam nonnunquam lenta fit. In prima igitur periodo, in qua ossis mortificatio contingit, adest inflammatio, dolor, tumor partium mollium, febris: in secunda, in qua separatio partis mortuae ossis a viva locum habet, extenuatur febris, statuitur suppuratio, et egreditur purulenta materies; dum intra ulcera introducitur specillum, os nudum et siccum percipitur, et partes mortuae, quae separari debent, adhuc partibus ossis vivis adhaerentes: in tertia, partes mortuae ex toto sejunctae distinguuntur, quia

nullam amplius connexionem habent. Ad cognoscendas autem tres praedictas circumstantias, nec adeo certa, nec adeo perspicua signa sunt. Tamen si super os planum manifestatur inter initia mollis tumor, tactu maxime dolens, absque mutatione cutis, jure conjicere possumus, os ad necrosin disponi, quin periostium particeps sit.

§. 1457. Disputatur de modo quo separatio partium mortuarum a vivis fiat, et de caussa novae productionis ossium. Hippocr. lib. de cap. vulner. credit, partem ossium mortuam a sana sejungi propter carnem subter crescentem, ut hisce verbis patet = Emergunt autem carne subnascente. Subnascitur autem ex duplicata ossis lamina, et ex sano osse, si superna ossis pars sola fuerit corrupta. Sic vero quam citissime et caro subnasci ac germinare poterit, et ossa emerserint, si quis ulcus quam citissime suppuratum redditum purum faciat. Et si per totum os ambae partes intro contusae cesserint ad membranam, et superna ossis pars et inferna, si quis similiter medeatur, ulcus celerrime sanum erit, et os-

sa quae intro cesserunt, celerrime emergunt, ac revertuntur. = Cogitavit Van-Swieten aph. 252., partem mortuam ossis per continuas arteriarum pulsationes a viva disjungi. Inquit enim = Sed totum hoc separationis opus per vasa viva mortuae parti supposita perfici debet, quae motu suo, et continua quasi arietatione, partem ossis mortuam separant et expellunt. = Sic alii alias profitentur opiniones, quas commemorare relinquo; siquidem plerique conveniunt, hanc separationem a naturali processu pendere, et postea naturam ipsam amissam substantiam ossibus restituere. Plures etiam ad hanc novam productionem exponendam emissae fuerunt sententiae; sed certum videtur, quod vis iterum producens ossa eadem sit, ac quae in statu sano ossium nutritionem persolvit. Et ut vis nutriens actuosa est in juvenibus, et torpens in senibus, sic vis regenerans viget in illis, in hisce vero languet.

§. 1458. Caussa proxima necroseos est in ossibus nutritionis defectus, unde mortificatio nascitur. Substantia ossium compacta est magis ad necrosin composita, et ut

caries spongiosarum ossium extremitatum consistit dum compactae parti appropinquat, sic necrosis in oblongis ossibus ad eorum extremitates non extenditur. Caussae occasionales aut externae aut internae sunt. Spectant ad primas vulnera, fracturae, luxationes; aëris actio in superficiem ossium, quae in vulneribus deteguntur; substantiae acres, et causticae, unde inflammatur periostium, et gangraena afficitur. Saepe in ossibus contingit necrosis non solum per accessum aëris, sed etiam per disjunctionem periostii, vasorumque eversionem, quae ossium nutritioni prospiciunt. Ut plurimum ab hac caussa necrosis in externa superficie ossium cranii, et interna superficie a sejunctione durae matris oritur. Animadvertendum vero est, quod dum exigua portio periostii separatur, et bonum est temperamentum, aetas juvenilis, non semper supervenit necrosis, quae inevitabilis est; dum multum extenditur sejuncta periostii pars, inflammatio violenta, ipsum os contusum, mala corporis constitutio, et ingravescit aetas. Facilius autem externae caussae necrosin inducunt, si etiam non de-

sunt internae. Plures sunt recentes scriptores, qui periostii et membranae medullaris influxum non negant ad nutritionem ossium, sed credunt, propter adnotabiles vasorum communicatione non multum detrimenti illam perferre, etsi separatio periostii spectabilis sit. Plurimae autem sunt internae caussae, ut venerea lues, scrophula, scorbutus, herpes etc. Ab hisce plerumque proficiscuntur internae necroses, quae etiam ab externis caussis produci possunt, cum scilicet ab harum actione membrana medullaris laeditur et diruitur.

§. 1459. Necrosis est saepe longa et gravis aegritudo, interdum lethalis. Ut praenoscatur exitus, ad examen vocandae sunt caussae, symptomata, situs, et extensio morbi. Secundum caussas plus vel minus rapide procedit, et majorem vel minorem incutit timorem. Si caussae externae sint, et optima corporis constitutio, magis sperandum est, quam si caussae internae, et prava constitutio. A violentis vero externis caussis celerior est necroseos cursus, quae gravior est. Consequi possunt colliquativa

symptomata, ut summa debilitas, febris hectica, consumptio, diarrhoea. Cum ab aliqua interna caussa producatur morbus, ut a syphilide, scrophula, rachitide, admodum lentus est. In corporibus enim hisce morbis afflictis naturae operationes torpescunt. Spem autem habere possumus, cum affectum os usibus magni momenti dicatum non sit; necrosis superficialis, sive sit in ossibus latis, sive longis; nam natura sanationem molitur: contra si necrosis sit extensa, profunda, in parte interna ossis, complicata, os conspicuis usibus inserviat, et caussae internae sint. Interdum necrosis ossis cylindracei producitur, et in proximam articulationem penetrat; et tum gravissima est, et ut plurimum ad amputationem adigit.

§. 1460. Praecipua morbi curatio a natura perficitur; ars solum naturae operationes adjuvat. Per artem enim molliuntur dolores, absterguntur ulcera, facilis redditur puris exitus, oppugnantur caussae. Hac ratione usque ad separationem mortuae partis ossis opperimur. Tum ad sequestrationem spectare debemus, scilicet inclusam partem

mortuam intra vivam substantiam ossis, quae nunquam nimis cito chirurgicis auxiliis extrahi debet, etsi magna sit, et externae aperturae non accommodata. Experientia enim edocemur, quot modis, quantaque efficacia ad eam eximendam natura operetur. Sed si cunctatione hoc non eveniat, abundans sit suppuratio, et febris hectica timenda sit, illam educere oportet. Cum os pluribus partibus mollibus cingitur, hae sunt abripiendae, ut recludatur os. Quocirca duae semilunares incisiones fiant, cutem tollendo et musculos, qui inter has incisiones sunt. Si ingens haemorrhagia contingat, ante extractionem partis osseae, refraenetur; sed si nulla adsit haemorrhagia, osse detecto, statim applicetur una vel duae terebrae coronae versus partem inferiorem sequestrationis, et scalpello auferantur fragmenta ossis, quae sunt inter foramina a terebris reclusa; postea tenacula frustum ossis clausum prehendatur, seu mobilis sequestratio, et abducatur. Tum opus est mederi ulceri ut simplici; nam ablato obstaculo ad cicatricem perducitur. Igitur linteis carptis profundum vulnus im-

pletur. Transactis temporibus perficiebatur amputatio; sed hodie haec operatio non instituitur, nisi cum necrosis usque ad articulationem extendatur, aut cum per diutinam et affluentem suppurationem hectica febris evolvatur.

GENUS SEXTUM

Caries

§. 1461. Caries, τερηδὼν, emollit, corrumpit, rodit, et admodum sensibilia facit ossa, fluxum producit saniosi et foetidi humoris, atque efficit, ut in ipsa ossium substantia fungosae productiones emergant. Caries igitur ulceribus partium mollium respondet, ut post Galenum omnes fere repetunt scriptores. Patet etiam, cariem a necrosi differre; nam in illa non omnino ut in hac extinguitur ossium vita. Transactis temporibus caries confundebatur cum necrosi, quae, ut supra diximus, sicca caries dicebatur. Foenomena quae comitantur ca-

riem evidenter demonstrant, non ex toto proprietates vitales ossium extingui. Inquit Hippocr. lib. 2. de morbis VII. = Ὅταν τερηδὼν γενήται ἐν τῷ ὀστέῳ, ὀδύνη λαμβάνει ἐκ τȣ̃ ὀστέȣ cum caries facta fuerit in osse, dolor ex osse corripit = Praeter dolorem idem testantur tumor et mollities ossis, carnosae et fungosae vegetationes, materiei puriformis, et saniosae, pravaeque indolis fluxus. Caries in ipsum os affectum, et vicina ossa progreditur; nec pars ossis affecta a sana sejungitur, si excipiatur casus, in quo caries in necrosin convertitur. Quamvis scriptoribus praeteriti saeculi debentur ideae magis rectae cariei, tamen hujus natura non cognoscitur.

§. 1462. Plures dividunt cariem in illam a caussa externa, ut a vulneribus, contusionibus, ulceribus partium mollium; et aliam ab internis caussis, ut a syphilide, scrophula, scorbuto. Recentiores vero in illam a caussa externa; in aliam a caussa interna, sed locali, quae remediis externis et localibus sanari potest; in aliam ab interna generali caussa, quae praesertim internis

auxiliis curatur. Potest igitur caries esse primaria, symptomatica, secundaria. Prima nascitur a caussis, quae primitus operantur in ossa; secunda a morbis costitutionalibus; tertia a materiis quae in substantia ossium deponuntur post aliquam aegritudinem, et per metastases, quae non raro in variolis, aliisque exanthematibus contingunt. Praeterea discriminatur caries in superficialem et profundam. Prima ossium superficiem non superat; altius secunda per substantiam eorum extenditur.

§. 1463. Dolor ossis plus vel minus acerbus, aliquis tumor doloris loco, substantia ossea mollis, et valde sensibilis, humoris saniosi et foetidi exitus cariem indicat, quae proclivis est ad se dilatandum, profundius penetrandum et substantiam ossium corrumpendum. Non semper vero eadem est cariei forma. Ut plurimum os quoad volumen et consistentiam mutatur; interdum volumen et consistentiam servat; interdum superficies ossis exeditur carie, sed saniosa materies non fluit; saepe emollitur os, et in suis interstitiis caro fungosa producitur,

a qua per caussam etiam levem sanguis exit. Sed diu extare non potest caries, quin partium mollium exulcerationem pariat; ut loc. cit. sic adnotavit Hippocrat. = χρόνῳ δὲ ἀφίσταται τὸ δέρμα ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ, temporis autem progressu cutis de capite, alia atque alia parte discedit = Cariei signa facile distinguuntur, cum illa sub oculis et instrumentis cadit; sed res non ita se habet, cum caries interna sit et occulta. Haec vero rationabiliter praesumitur, cum discruciet fixus dolor, qui alicui ossi respondet; fistulosus sinus ad os ducat, ex quo saniosus, subniger, et foetidissimus humor egreditur; scabrositates deprehendantur specillo; exterius luxurians caro germinet; et indubia sint humorum vitia, ut venereum, scrophulosum, scorbuticum. Interdum etiam cum materiis puriformibus et saniosis osseae particulae abscedunt; interdum deformantur partes, quarum ossa afficiuntur carie; interdum per congestionem in locis plus minusve a cariei sede longinquis efformantur abscessus. In carie vertebrarum hujusmodi abscessus saepe observan-

tur, qui producuntur a pure, quod ad varia loca sibi comparat viam, ut ad inguina, aut prope anum; et cum aperiuntur, pus exilit pessime olens. In juvene recenter nupta, carie vertebrarum dorsi affecta, considerabiles abscessus vidi super afflictam partem, et circa anum, ex quibus purulenta materies teterrimi putoris erupit. Ex carie autem vertebrarum curvatur spina, et hinc extremitatum inferiorum, vesicae urinariae, recti intestini paralysis. Caries sterni producit abscessus, qui subinde in anterius mediastinum penetrat, ubi colligitur puris quantitas; eoque laedi et corrumpi possunt partes vicinae.

§. 1464. Caussa proxima cariei videtur morbosus processus, qui prius mollit, deinde depravat ossa, inducit saniosi et acris humoris fluxum, qui partes duras et molles diruit. Hujusmodi processus excitatur ab actione caussarum remotarum, quae molliora reddunt ossa, eorum texturam perturbant, et continuitatem laedunt. Omnia ossa obnoxia sunt cariei, sed magis illa spongiosae texturae. Saepius ideo afficiuntur ossa carpi,

tarsi, sternum, vertebrae ossa pelvis, oblongorum ossium capita. Propter minorem ossium consistentiam frequentior et rapidior caries est apud infantes, quam apud homines integrae aetatis, et senes. Caussae occasionales aut externae, aut internae sunt. Ad primas pertinent vulnera, fracturae, ictus, ulcera abscessus prope ossa. Interdum externae caussae internarum influxu producere possunt cariem. Donec pus abscessuum bonas qualitates servat, ossium cariem non infert, ut cum has qualitates perdat, et corrosivum evadat. Internae caussae sunt plura vitia, ut venereum, scrophulosum, scorbuticum, cancerosum, arthriticum, rheumaticum, etc. Caussa syphilidis saepe ossa cranii, palati, nasi, sternum, tibia carie laeduntur. Scrophulosa lues, quae ossa brevia, et ossium oblongorum extremitates corripit, crebro in ipsis inducit cariem. Scorbutus cum extremum gradum attigerit partem ossium compactam aggreditur, et carie inficit.

§. 1465. Cum caussa externa sit, etiam sponte sanescit caries; sed cum interna id

solis naturae viribus non evenit, et nisi remediis succurrat ars, plus minusve rapide progreditur, pervertit fuctiones, sequitur consumptio et mors. Quo autem validior interna caussa est, eo gravius erit discrimen. Caries a scrophuloso vitio genita, persistit, celeriter extenditur, et saepe ad conservandam aegri vitam, aliud non habemus auxilium, nisi amputationem. Illa a lue venerea propter mercurii virtutem facilius sanari potest. Si caussa interna sit, sed localis, caries est curatu difficilis; sed minus periculosa est illa, quae venit ab interna et generali caussa. In supeficiali carie, quae partes molles non vitiaverit, alea minor est, ac in profunda. Ad sanationem non pervenit caries, quae ossa profunde posita afficiat, et caussa subigi non possit, cum sola palliativa curatio locum habeat. Majori difficultate caries partis spongiosae ossium, quam illa partium compactarum sanatur. Caries ossium tarsi et carpi nullo negotio diffunditur ob eorum contactum, et saepe necessaria est amputatio. Idem dicendum est de carie, quae spongiosa capita magna-

rum articulationum adoritur. Salutaria naturae conamina magis in pueritia et juventute expectanda sunt, quam in senectute; eoque in hac aetate semper magis infaustum erit omen.

§. 1466. Curatio disponenda est secundum caussam, ossis affecti partem, os ipsum, et aegri aetatem. Generatim si fieri potest subjuganda caussa est, progressus cariei retinendus, et haec auferenda; sed interdum nihil consequimur, et cum aegri vita in discrimine versatur, convenit amputatio, dummodo absolvi possit. Si igitur interna sit et generalis caussa, haec devinci debet, et ita morbo locali reddito, conferunt topica, quae exsiccare possunt os, et partis carie affectae disjunctionem promovere. Si ex. gr. caussa sit venerea lues, haec prius antivenereis superanda est, et facilis exitus sanioso humori comparandus, ne stagnet et resorbeatur; deinde ad localem curationem veniendum est, quae partem carie afflictam deturbet. Si vero caries a caussa locali nascatur, localia sint remedia. Si haec sit superficialis, et aetas juvenilis, interdum naturae viribus, et remediis simplicissimis, ut de-

coctionibus plantarum aromaticarum, balsamicis, tincturis alcoholicis aloes, et myrrhae persanatur. Non semper haec efficacia sunt, et caries profertur. Ut ideo prompte haec in necrosin abeat, deligendi sunt validiores stimuli, et caustica. Sed quia ab humorum affluxu valde minuitur causticorum actio, hinc satius est adhibere ignem, maxime si caries profunda sit, et ingens humorum puriformium proventus. Secundum Boyer ferrum candens non solum cariem in necrosin mutat, sed etiam irritat sanas partes, et illam vasorum actionem suscitat, unde exfoliatio partium mortuarum consequitur. Sed ad adhibendum ignem plures cautiones habeantur, scilicet prius humorum vitia emendentur, si adsint; os affectum detegatur ferro, partes molles illud operientes eripiendo; deinde applicetur ferrum, sed admodum candens, ut tota ossis affecta pars comburatur, in necrosin caries vertatur, et hujus detineatur progressio. Necesse vero est partes molles defendere, aut linteis madidis, aut per cannulam causticum inducere. Non semper autem ignis adhiberi potest, ut in carie ex-

tremitatum articularium oblongorum ossium, in illa ossium carpi et tarsi, et vertebralis columnae. Angliae professores igni anteponunt methodum partem carie affectam adimendi serra, terebra, cultro, scalpellis. Haec instrumenta sunt adhibenda, cum ignis actio periculosa sit, ut in ossium cranii carie. Cum autem nihil valeat ad retinendam cariei progressionem, et immineat aegrotantis vitae discrimen, opportuna est partis amputatio. Differt vero curatio pro diversorum ossium carie. Si haec sit in ossibus cranii a venereo vitio producta, interius et exterius mercurii praeparata usurpari debent. Ignis, ut diximus, periculosus foret propter irritationem, quam in meninges et cerebrum induceret. Pro carie vero apophysium mammillarium ignis utilis est. Pro illa ossium palati, maxillarum necessaria praecipue est interna curatio. Sinuum maxillarium caries saepe perforationem respondentis alveolaris lateris expostulat. In sterni carie ut plurimum instituenda est terebratio, qua adimitur ossis portio, et hinc succedit substantia fere ossea, quae effor-

matur, et defectui sublatae partis supplet. In vertebrarum carie, ut observavimus, producuntur abscessus, qui exigua apertura reserari debent, ut aëris contactus evitetur. In omnibus vero casibus ubi sunt humorum vitia, inter quae venereum, et scrophulosum frequentissimum, interna remedia linquenda non sunt.

GENUS SEPTIMUM

Osteosarcosis

§. 1467. Osteosarcosis, ὀστεοσάρκωις, aut osteosarcoma, ὀστεοσάρκωμα, est lenta ossium mutatio, qua emolliuntur, proprias qualitates deperdunt, et carneam consistentiam plerumque dolentem adipiscuntur; aut carnosa substantia saepe dolens ex ipso degenerato esse luxuriat. In osteosarcosi igitur non tantum emolliuntur ossa, ut in osteomalacia, sed eorum qualitatibus exspoliantur. Morbi nomen, quod componunt ὀστέον os, et σάρκωσις carnis generatio, indicat

tumorem ex osse et excrescente carne compositum. Boyer hanc affectionem considerat ut ossium cancrum; et ideo osteosarcosis nomine illam ossium mutationem intelligit, qua post distensionem plus vel minus adnotabilem eorum substantia degenerat, et in massam dissimilem, partium mollium cancro analogam, convertitur. Persolvere, an haec opinio vera sit, statutum non habeo, sed certum est quod interdum ossa in substantiam mollem, et pinguedinosam mutantur, atque symptomata talia sunt, ut hunc affectum cancerosum esse demonstrent.

§. 1468. Secundum Boyer duae sunt osteosarcosis species, una nimirum quae est effectus cancerosae affectionis in partibus mollibus inceptae, et mox ad ossa diffusae; alia quae est degeneratio primaria ipsius ossis, ex qua deinde partes molles afficiuntur. Judicio hujusce auctoris omnia ossa osteosarcosi obnoxia sunt; sed saepe illa faciei, basis cranii, oblonga, et innominata, quae forsan saepius aliis illa corripiuntur.

§. 1469. Incipit osteosarcosis dolore profundo, qui subinde crudelis fit et lanci-

nans; deinde manifestatur tumor, dum partes molles naturalem statum conservant. Hujusmodi tumor magnum acquirit volumen, sed modo plus modo minus rapide, et semper ferocia torquent dolorum tormenta. Hinc partes molles inflammantur, et admodum dolentes fiunt. Plerumque super tumidum os arteriarum ossis ipsius pulsatio, aut arteriarum contiguarum partium percipitur. Cum progreditur morbus, interdum partes molles exulcerantur, excitatur lenta febris, sequitur consumptio, maxima debilitas, colliquativi ventris fluxus, et haec symptomata ad vitae finem perducunt.

§. 1480. Caussa osteosarcosis proxima esse videtur principii terrei defectus, unde consequitur ossium mollities, et eorum qualitatum deperditio. Omnes existimant, caussas remotas esse venereum, herpeticum vitium, aut aliud; et etiam externas injurias. Plures vero cum Aloysio Petit frequentiorem caussam esse veneream luem arbitrantur. Sed Boyer suae opinioni adhaerens valde probabile credit, quod osteosarcoma actionis directae aut indirectae cancerosi vi-

ri effectus sit. Ad hoc judicium confirmandum addit, quod post amputationem partis osteosarcomate affectae fere semper reproducitur morbus, ut in partium mollium cancro contingere solet. Verum animadvertendum est, quod si post amputationem iterum generetur osteosarcoma, id persaepe evenit, cum nimis tarda fuerit operatio, et multam morbus progressionem fecerit, et sese praesertim ad vicinas partes diffuderit.

§. 1471. Osteosarcosis est incurabilis morbus, et saepissime funestas consecutiones instruit. Infructuosa remedia sunt, quibus perfracte repugnat, et atroces dolores, inflammationes, ulcera infert, et continue progreditur. Tamen cum oriatur morbus a venereo vitio, et multum progressionis non habeat, utilis esse potest mercurius. Cum vero amplior factus sit, quamvis mercurio vincatur caussa, impossibile est ossium mollitiei, et subversioni opitulari. Sola igitur spes in partis amputatione ponitur, ubi haec perfici possit, et fausti exitus probabilitas sit.

§. 1472. Curatio igitur in remediis palliativis, quae symptomata sedant, et affe-

ctae partis amputatione consistit. Cum vero propter situm quem occupat morbus, ejusque progressionem absolvi non possit operatio, sola palliativa conveniunt, praesertim quae tam exterius, quam interius adhibita dolores molliunt, ut est opium, ejusque composita. Qamvis remedia, quae internae morbi caussae opponuntur, inefficacia sunt, nihilominus omitti non debent; siquidem nunquam nocent, et aliquam utilitatem afferunt.

GENUS OCTAVUM

Anchylosis

§. 1473. Anchylosis, ἀγκύλωσις, est articulationum glutinatio, qua ipsarum motus impeditur. Omnes humani corporis articulationes hunc affectum contrahere possunt, et ita consolidantur ossium capita, ut quivis motus impossibilis sit. Apud scriptores inveniuntur exempla generalis anchylosis, scilicet omnium ossium. Praecipuum symptoma morbi est praepeditus articulationum motus;

reliqua ut rubor, dolor, tumor, sunt symptomata, quae pertinent ad morbos, qui anchylosi occasionem dederunt.

§. 1474. Distinguitur anchylosis in veram, aut completam; et in falsam, aut incompletam. Prima est, cum articulationum ossa ita sunt inter se agglutinata, ut nullum motum absolvere queant; altera est, cum ossa non omnino conglutinantur, eoque difficiles sunt articulationum motus. In completa anchylosi varia sunt incommoda, quae a diverso situ oriuntur, in quo immobilis articulatio remansit. Animadvertendum est, quod appellari non debet anchylosis illa rigitas, quae in articulationibus post fracturas fere observatur. Haec enim nascitur a defectu actionis, in quo musculi, et superficies articulares tempore curationis jacent; et gradatim exercitatione facile vincitur.

§. 1475. Caussa anchylosis verae est extremitatum articularium conjunctio. Haec nascitur a diversis occasionalibus caussis, et saepe a provecta aetate, cum in ossium systemate, major quantitas phosphatis calcis secernitur, et cum articulationum cartilagi-

nes osseae fiunt. Caussa falsae anchylosis est deficiens flexilitas tendinum et ligamentorum articulationes circumcingentium, quae ut plurimum succedit exercitationis defectui, cum scilicet articulationes per longum tempus non moventur. Caussae igitur occasionales esse possunt fracturae, luxationes, ictus, ingentes contusiones, saltus, ex celsitudine lapsus in pedibus stando, tumores albi, abscessus articulationum, inflammatio, quae post fracturas ad articulos extenditur, et non solum ligamenta, aliasque partes illos cingentes afficit, sed etiam potest superficierum articularium cohaerentiam producere. Si non reducantur luxationes, non semper sequitur anchylosis; siquidem interdum novae articulationes efformantur. Indurescit textus cellulosus os luxatum ambiens, et ligamenti capsularis munere fungitur; musculi habitudinis ratione absolvunt functiones, quae prius impediebantur.

§. 1476. Vera anchylosis incurabilis est. Curare igitur debemus ne contingat; sed interdum eam removere malum est. Etenim dum supervenit anchylosis plures articula-

tionum morbi vanescunt, quod est propitium accidens. Considerandum etiam est, quod eam repellere est res maximi consilii; nam praepostera remediorum applicatio inflammationem alea plenam, et ipsam cariem inducere potest. Semper ideo studere debemus, ut articulatio illam positionem habeat, ex qua minus incommodi proficiscatur. Falsa vero anchylosis curabilis est; sed non semper promptum est eam penitus sanare. Cum morbus sit recens, et caussae vincibiles, totalis sanatio certior est. Cum contingunt fracturae apud articulos, timenda est illa inflammatio, quae ad ipsos articulos producitur, et partium, quae eos componunt, cohaerentiam parit. Haec est ratio, cur fracturae prope articulos illis mediae ossis partis graviores sunt.

§. 1477. Amovetur anchylosis, quae consequi potest fracturas, tumores etc. articulationum motibus, quos varii morbi permittunt, ut ligamentorum, capsularum articularium, tendinnm articulationes circumdantium conservetur flexilitas, et secretio synoviae promoveatur. Sed si hujusmodi mo-

tus fieri non possunt aut etiam hisce articulationum mobilitas deperdatur, emollentia conferunt, ut balnea tepida, fotus, unctiones emollientes. Imminuto morbo, quantum licet, articulatio exercenda est; et etiam juvant unctiones ex linimento volatili, camphora, spiritu saponis; stillicidia; balnea mineralia; vapores. Hac ratione superatur, aut extenuatur morbus suapte natura pervicax. Statim ac principium anchylosis deprehenditur, aptior positio danda est affectae parti, ne gravissima incommoda superveniant, ut genu, quantum possibile est, extensum servetur. Pro illa autem rigiditate, quae post fracturarum, et luxationum sanationem remanet, non solum exercitatio partis, quae gradatim fit, juvat, sed etiam maxime utiles sunt unctiones oleosae, et aquarum frigidarum stillicidia, quae matutinis omnibus repetuntur.

GENUS NONUM

Periostosis, seu gumma

§. 1478. Periostosis est tumor ossibus insidens, in initio durus, deinde pressioni digitorum cedens, a viscoso humore genitus, inter periostii laminas, aut velut in capsula concreto. Dicitur etiam gumma ab hoc humore gummi non adhuc indurato simili, quod ab arboribus stillat. Transactis temporibus non bene hujusce tumoris sedes cognoscebatur; siquidem non a periostio, sed ab ipsa ossis substantia exurgere credebatur, ut a definitionibus traditis evidenter patet. Inquit Van-Swieten §. 549. = Sic solet vocari tumor ex ipsa ossis substantia enatus; talis tenacitatis, et mollitiei, ut digitis cedat, fere uti solent gummi ex arboribus stillantia, et concreta, dum radiis solaribus mollescunt, vel nondum perfectam duritiem acquisiverit = Confundebatur etiam periostosis cum exostosi, a qua propriis et indubiis characteribus vere differt.

Praeterea a pluribus scriptoribus creditur periostosis symptoma siphilidis, inter quos numeratur Boyer, qui inquit, virus venereum constanter esse caussam illius. Interdum vero mihi videtur primaria affectio, a propriis caussis producta; et quamvis frequentius symptoma sistat venereae luis, est etiam aliquando symptoma rachitidis, scrophulae, scorbuti, etc. Mihi quoque videtur dividenda esse in simplicem, et complicatam. Est simplex, cum solum periostium, et textus cellulosus afficitur; est complicata, cum ipsi jungitur caries, exostosis, et ipsa osseae substantiae mollities. Hanc complicationem loc. cit. sic expressit Van-Swieten = Forte etiam in his tumoribus ipsa ossis substantia proprie dicta naturaliter adeo dura, in mollitiem praeternaturalem et morbosam degerat. = Frequentius vero componitur necrosi; nam mutatio periostii facile ad superficiales osseas lamellas porrigitur, maxime cum morbi origo venerea sit; quamvis in hoc casu etiam tophi, exostoses, caries observantur. Saepius periostosis latis ossibus, et partibus durissimis majorum os-

sium insidet. Nihil est frequentius, quam in lue venerea laborantibus gummata in capite, et in media solidissima ossium parte videre.

§. 1479. Ut plurimum dolores praecedunt periostosin. Hi autem offerunt aliquod indicium ad intelligendum, an periostosis primaria sit, vel symptomatica venereae luis. Etenim dum est primaria, dolores non sunt adeo atroces, nec magis noctu ferociunt; contra si venerea, dolores sunt immites, potissimum noctu. Post dolorum aggressum detegitur periostii tumor inter initia durus, tactu dolens, deinde prominentior, et mollior; nam periostium et textus cellulosus in substantiam similem, cineraceam, mollem degenerat. Si hujusmodi perspicui characteres fuissent perpensi, confusa non esset periostosis cum exostosi, quae eandem ac ossa duritiem objicit.

§. 1480. Caussa proxima periostosis est periostii immutatio ob viscosum humorem inter ejus laminas coactum. Cum periostosis primaria est, ejus excitantes caussae plerumque sunt violentiae externae, ut ictus, lapsus, contusio; et aliquando est aliquis

peccans humor, qui ad periostium transilit, et inter ejus laminas immittitur. Etenim plus semel in hominibus religiosissimis periostosin vidi, in quibus nec aderat suspicio syphilidis, nec ulla externa offensio contigit. Periostosis symptomatica nascitur ab aliis morbis, sed absque dubio frequentius a lue venerea, quae jam nimis progressa sit.

§. 1481. Periostosis varios habet exitus. Interdum solvitur, praesertim si prompte et scite curetur; siquidem raro solutio sponte evenit. Interdum abit in duritiem, et tum tumor durus, indolens, insolubilis remanet, quandiu quis vixerit, et deformitatem affert, si in parte sit, quae sub oculorum sensum cadat. Interdum magis prominet tumor, distenditur et irritatur superposita cutis, et hinc inflammatio accenditur. Si haec levis est, emollientibus facile solvitur; si intensior saepe in suppurationem transit. Tum mollescit tumor, et nonnunquam variis punctis sponte aperitur; pus exilit, et tumor non deprimitur. Sed posteaquam materies abiverit, aut in fundo tumoris os denudatum et necrosi affectum,

quia destruitur periostium, deprehenditur; aut vegetationes carnosae, dum aliqua tantum pars periostii laeditur. Periostosis venerea crebrius necrosin producit, sed interdum etiam cariem, aliaque mala, ut Van-Swieten §. 1075. ita adnotavit = Gummata autem venerea solent frequenter ossa, quibus insident, corrumpere carie; vel si intra cranium haereant, premendo mole sua encephalon, nocere possunt. =

§. 1482. Ut resolutionem periostosis consequamur, oportet inquirere caussam, eamque subigere. Quocirca si qua sit suspicio alicujus humorum vitii, hoc internis auxiliis corrigendum est, eodemque tempore localia resolventia usurpanda, inter quae frictiones ex mercuriali unguento praestant. Si vero affecta pars dolore et irritatione percitetur, prius hujusmodi irritatio cataplasmatibus emollientibus est compescenda, deinde resolventia adhibeantur. Cum vero periostosis resolvi nequiverit, et in duritiem transgressa sit, omnia remedia imparia sunt. Si gummata symptomatica sint, interna eligantur medicamina, prout diversitas postulat

diathesium, nunquam localibus auxiliis relictis; ut si venerea, internus et externus mercurii usus. Cum autem periostosi inflammatio superveniat, et haec in suppurationem transcendat, dandus est puri exitus, quod melius ferro, quam caustico fit. Et cum post materiei exitum os necrosi affectum deprehendatur, natura est quae partes mortuas a vivis sejungere debet, et nihil aliud faciendum est, quam formationi cicatricis favore. Cicatrix vero deformis necessario sequitur, siquidem adhaeret ossi, quod substantiae jacturam pertulit.

GENUS DECIMUM

Osteoxirotis

§. 1483. Partes durae humani corporis, ut partes molles, vita possunt destitui. Et quia dum vita expoliantur ossium lamellae exsiccantur, haec ossium affectio mihi visa est osteoxirotis appellanda. Etenim *ὀστέοξηρότης* est compositum nomen, quod

ossium exsiccationem significat. Subinde a caussarum violentia inflammantur, et gangraena corrumpuntur partes molles, quae operiunt ossa; haec inde denudantur, et exsiccantur. Subinde ab hisce caussis inflammatur etiam periostium, quod in suppurationem transit; sed tum plerumque necrosis sequitur. Subinde quoque ab eadem caussarum vehementia percelluntur ossa, debilitantur sanguinea vasa, quae eorum substantiam penetrant, eorumque nutritioni prospiciunt; eoque nonnunquam denudantur, exsiccantur, et moriuntur ossa.

§. 1484. Ossa dum privantur vita, sicca fiunt et alba, calcis instar; eorum superficies finditur, desquamatur; mox carnosae vegetationes observantur, quae ab altioribus ossis partibus expullulare videntur. Ex hoc cognoscitur, non solum naturam per se ipsam ad separationem partium mortuarum ossis a vivis, sed etiam ad partes denudatas contegendum tendere; siquidem partes molles reproducuntur, et carnosae surgunt productiones, quae illis uniuntur.

§. 1485. Frequentiores et evidentiores caussae sunt externae offensiores, ut ictus, vulnera, contusiones. Etenim ab hisce caussis inflammantur partes molles, quae saepe gangraena afficiuntur; et dum exuuntur ossa, eorum exsiccatio sequitur. Sed, ut observavimus, non parum ad eundem producendum effectum contribuunt ossium commotio a violentia caussarum inducta, et vasorum sanguineorum debilitas, ex qua etiam oriri potest nutritionis defectus.

§. 1486. Cum ossis superficies arefiat, vitaque orbetur, ut disjungatur necesse est. Hoc opus a vegetanti naturae vi perficitur, ex qua partes mortuae separantur a vivis, ut passim in arboribus, aliisque stirpibus observandum est. Cum igitur delapsae sint mortuae ossium lamellae, earum locus a carnosis vegetationibus occupatur, quae subjectis partibus adhaerent, et ulceris marginibus copulantur; et deinde efformatur, expleturque cicatrix.

§. 1487. Ex dictis liquet, nihil fere esse moliendum, et tantum partis mortuae separationem expectandam. Diligenter eviten-

tur incitantia, et irritantia; sed solum adhibeantur cataplasmata emollientia, quae productionem carnosarum vegetationum secundant. Si igitur naturae vires sufficiant, quaevis chirurgica operatio inutilis est, ut perforatio ossis in pluribus punctis ejus superficiei, quae fuit admodum commendata. Hac enim credebatur brevius reddere naturae opus, promptiusque carnosas vegetationes promovere. Ita inutilis est ad sollicitandam disjunctionem partis mortuae a vivis coronae terebrae applicatio; ut et radula, vectis, aliaque instrumenta. Possibilis tantum casus est, in quo aliqua et exigua incisio conveniat, cum scilicet carnes, quae os develatum ambiunt, partis mortuae expulsionem impediant.

GENUS UNDECIMUM

Podoloxotis

§. 1488. Pedum deformitas, quae in eorum torsione consistit, vocanda mihi vi-

detur podoloxotis, sicut Nosologi distortionem cubiti, maxillae inferioris, aliarumque articulationum, citra exarthrema et spasmum, appellarunt loxarthrum. Hoc nomen constat duabus vocibus, quae sunt πȣ̃ς pes, et λοξότης obliquitas. De hac pedum deformitate in libro de articulis Hippocrates loquitur. Plures deinde de hac eadem disputarunt, et inter nuperiores Scarpa praeclaram dissertationem exaravit, iconibus ornatam, quibus elasticus apparatus repraesentatur, ut ad naturalem figuram, et directionem cum tibia reducantur pedes, quin afferantur incommoda, et infantes curationis tempore, quae saepissime diuturna est, et ad plures menses producta, in lecto procumbere obligentur. Deinde Mellet in suo manual. pract. orthoped. eandem rem planissime scripsit. Hanc affectionem inter cachexias posui, non solum propter deformitatem pedum, qua distinguitur, sed etiam propter adnotabilem gracilitatem cruris, maxime hujus mediae partis, quod quidem foenomenon non est facile explicandum.

§. 1489. Podoloxotis aut est congenita, aut post ortum a pluribus caussis sive externis, sive internis nascitur. Quamvis interdum pedes non in plantam sed in digitos nituntur, et ob similitudinem illis equorum dicuntur equini, saepius tamen vel intriusecus vel extrinsecus, et frequentissime intrinsecus flectuntur, et tum pueri super externum pedis marginem, et super malleolum ipsum externum incedere coguntur. Interdum uterque pes intrinsecus flectitur, et tum extrema pedum fere se tangunt. Internus malleolus aut parum aut nihil prominet; contra externus. Posterius calcanei tuber versus internum pedis latus inclinat, et versus suram trahitur. Dorsum pedis multum eminet; planta multum concava est. Pollex ab aliis digitis removetur. Exterior margo, in quem corpus innititur, est semicircularis figurae, et callosus. Chorda magna obliqua, et ab exteriore ad interiorem partem constanter tensa. Quocirca pueri non sine negotio incedunt, et facile labuntur.

§. 4190. Ossa in torsione pedum, et aliarum articulationum, ut inquit medicinae

Pater οὐκ ἐξηρθρηκότα παντάπασιν, idest penitus eluxata non sunt; sed solum in parte ab eorum naturali positu, mutuoque contactu remota. Pedum torsio continetur inter loxarthri species, cujus generales characteres sic describit Sauvages Nosolog. Method. Tom. 1. pag. 232. = Est ossium cum motu sensibili articulatorum situs relativus in alienum constanter mutatus, aut obliquitas respectiva persistens, citra exarthrema et spasmum. Caput ossis nativum acetabulum servat, nec desinit acetabulum caput ossis sibi dicati excipere; mutatur constanter in peregrinam directio nativa, qua sibi respondent ossa mobiliter combinata, quin contractioni spasmodicae hoc veniat tribuendum; exulant itaque a loxarthri genere exarthrema et spasmus; una peccat ossium positura respectiva, et coincidentia nativa, quae in alienas mutatae permanent. =

§. 1491. Ossa in pedum torsione a naturali situ aliquantum amota sunt naviculare, cuboideum, calcaneum, et astragalus, etsi aliis ossibus minus secundum Scarpa flectatur, cujus explanationem, quoad hanc pe-

dum deformitatem, ex toto exponemus. Ex hac explanatione clarescit, hanc torsionem genericum loxarthri characterem habere, scilicet nullum ex dictis ossibus suam cavitatem relinquere. Os enim naviculare, cujus cavitas caput excipit astragali, ita torquetur, ut ejus interius tuber sursum vergat, prope internum malleolum, dum exterius tuber deorsum inclinat. Ideo articulare caput astragali non omnino in ossis navicularis cavo comprehensum, illam detecta parte prominentiam constituit, quae in dorso pedis observatur. Cuboideum ubi tuberi anteriori ossis calcanei apte jungitur, exterius angulum obtusum format, interius acutum, et super marginem externum pedis detectam partem tuberis anterioris calcanei relinquit. Ligamenta quae ex uno in aliud os transeunt, adeo laxa sunt, ut fovea remaneat. Id confert ad semicircularem figuram a parte subter externum malleolum ad minimum pedis digitum efformandam. Tuber porro anterius calcanei deorsum vergit, posterius introrsum et sursum, atque corpus sub planta pedis curvatur. Pars itaque reclusa manet facie-

rum articularium inferiorum astragali. Tria ossa metatarsi, et illa quae sunt in digitorum internodiis, ossium navicularis, cuboidei, calcanei conversionem sequuntur, et huic digiti non ad horizontem, sed ad perpendiculum respiciunt terram, et caput posterius ossis metatarsi sub planta pedis absconditur.

§. 1492. In hac ossium distorsione musculi, eorumque tendines, pedem moventes, aut decurtantur et tenduntur, aut elonganlur, laxanturque. Inter primos sunt duo tibiales, flexor longus digitorum, flexor longus pollicis, abductor pollicis, musculi surae in chorda magna conjuncti, nempe soleus, plantaris, gastrocnemius. Inter secundos sunt musculi peronei. Secundum judicium Scarpa, defectus aequilibrii inter hos musculos, non est pedum deformitatis caussa; sed solum ad hanc deformitatem servandam augendamque, crescente puerorum aetate contribuit. Peronei actione sua illam tibialium, praesertim tibialis anterioris, non aequant; et ideo pes magis intrinsecus et sursum convertitur. Tibiales autem et peronei dum co-

rum vi retractionem musculorum surae non adaequant, chorda magna constanter tenditur; tuber posterius calcanei, cui haec chorda inseritur, sursum oblique trahitur, a parte interiori ad exteriorem cruris; corpus tandem super exteriorem pedis marginem sustentatur.

§. 1493. Ligamenta etiam, quae ossa tarsi ligant inter se, et cum extremitate inferiore tibiae et fibulae, inaequaliter tenduntur. Etenim ligamenta lateralia externa, scilicet perpendiculare et posterius, quae malleolum externum calcaneo vinciunt, laxantur et elongantur; ligamentum vero deltoideum, quod a malleolo interno fertur ad se ossi naviculari inserendum, illud plantare ossibus metatarsi commune, aliaque ligamenta hujusce ordinis, eidem usui dicata, decurtantur et tenduntur.

§. 1494. Ut plurimum congenita pedum torsio a mala positione foetus in utero oriri videtur. Credebat Duverney hanc deformitatem ab inaequali musculorum et ligamentorum tensione proficisci. Secundum hanc opinionem pedum torsio ad secundam loxar-

thri speciem Sauvag. pertinet, nimirum ad loxarthrum anisotonicum, qui ab inaequali musculorum et ligamentorum tensione nascitur. Judicavit vero Scarpa, Duverney caussam cum effectu confudisse; siquidem censebat, pedum torsionem ab ossibus tarsi eorum mutuo contactu amotis, et circa minorem axim flexis produci; et inaequalem tensionem musculorum et ligamentorum non parum, ut supra diximus, ad hanc servandam pedum deformitatem conferre. Secundum hoc judicium, hujusmodi deformitatem ad quartam loxarthri speciem Sauvag. spectat, scilicet ad loxarthrum intrarticularem, qui est artuum deflectio a mutata partialiter superficierum articulatarum libella. Nescio quae ex istis sententiis probabilior sit. Etenim mala foetus positio in utero eodem tempore ad ossa tarsi a naturali positu detorquenda, et ad inaequalem musculorum et ligamentorum tensionem inducendam, contribuere mihi videtur. Sauvages, aliique existimant, majorem musculorum et ligamentorum tensionem in uno articuli latere, quam in alio, a prava foetus positione in utero

advehi posse. Cum autem haec pedum deformitas non est congenita, a pluribus caussis produci potest, ut a fasciis quibus male obvolvuatur pueri; ab incauta gestatione eorum super brachia; luxationibus male reductis, aut neglectis; tumoribus albis pedum, etiam cum ligamentorum tumore; rachitide; affectionibus rheumaticis, podagricis, etc. Sauvages has caussas memorat, dum illas loxarthri loc. cit. sic enumerat. = Principia loxarthri sunt perversio situs nativi ossium, et positurae nativae musculorum appensorum post motus varios vehementiores; cartilaginis acetabulum, vel ossis caput obducentis incrementum majus in uno latere quam in altero; partialis acetabuli, vel capitis ossis exostosis; materies tophacea articuli cavum integrum occupans inaequaliter, vel tantum lateralem ejus partem citra anchylosim; tensio musculorum et ligamentorum major in uno articuli latere, quam in alio, quam inducere valent vitium haereditarium, malus situs in utero; obstetrix ossa infantis rudius tractans, mala fasciatio, pressio validior inter brachia, dum circum-

fertur infans, pravus situs diuturnior, et alia bene multa. =

§. 1495. In pueris tenellae aetatis saepe non inveniuntur difficultates ad pedem in naturalem situm reducendum, dummodo hoc cito fiat, ut lib. de Artic. LXXI. ita admonet Hippocr. = Quicunque a nativitate mutili fiunt, plerique ex his curabiles sunt, si non valde magna emotio facta fuerit, aut etiam praeauctis jam pueris contigerit. Optimum igitur est ut talia quam celerrime curentur, priusquam magnus defectus fiat, et priusquam admodum magnus carnium defectus circa tibiam contingat. = Sollicita igitur negligenda non est curatio; nam per hujus omissionem, et per crescentem aetatem obviam itur anchylosi, quod praesertim evenit, cum pueri ad pubertatem perveniant. Hujusmodi autem anchylosis tam habere potest locum in junctura ossis navicularis cum astragalo, quam illa astragali cum tibia et fibula. Curatio difficilior est cum pedum distorsio completa est, nimirum cum planta pedis est omnino vel intrinsecus vel extrinsecus flexa. Facilior autem est, cum

haec deformitas in simplici pedis vitiosa inclinatione consistit, idest cum puer incedendo super unum, aut super alterum pedis marginem innititur. Cum autem podoloxotis non est congenita, modo insanabilis, modo sanabilis est, secundum caussas, et tempus a quo existit. Idcirco si caussa sit mala fasciarum circumversio; imprudens puerorum gestatio super brachia, vitiosa pedis in ambulando positio; debilitas ligamentorum et musculorum, qui ad movendum pedem dicantur in uno aut alio cruris latere, difficile non erit pedem in naturali situ reponere, dummodo amoveantur caussae, et curatio sit expedita, ut difficultates et funestae consecutiones evitentur. Ex adverso corrigenda non erit haec pedis deformitas, si nascatur a luxatione male reducta, et jam longum tempus praeterlapsum sit, et capita articularia cohaereant; sic si a rachitide, cum non solum pedum ossa, sed etiam illa respondentis extremitatis distorta sint.

§. 1496. Nosologi omnes, qui de specierum loxarthri curatione pertractarunt, etiam exponunt illam, quae ad pedum tor-

sionem pertinet. Haec tota consistit in perficiendis diversis motibus, praesertim illi oppositis, quo contigerit ossium distorsio; in appositis ligamentis; in usu machinamentorum, et ocrearum, ut ad naturalem positum gradatim ossa reducantur, et in hoc confirmentur. Hujusmodi Nosologorum curatio fuit ab Hippocrate desumpta, cujus longum textum non pigeat referre, ut medicinae et chirurgiae tirones videant, quanta a rerum hippocraticarum studio retrahatur utilitas. Inquit enim in lib. de artic. LXXII. = Animadvertendum autem est, ut tibiae circa malleolum os, quod extrinsecus est ad internam partem detrudatur ac dirigatur, et calcanei os quod è directa illi subjacet, ad externam partem retrudatur, quo ossa quae eminent sibi ipsis occurrant juxta medium et obliquum pedem. Digiti vero acervati una cum magno digito ad internam partem inclinentur, atque ita circumcirca cogantur. Probe autem deligare oportet cerato resinato, et spleniis, linteis mollibus non paucis, neque nimis compressis atque ita deligationis circumductiones facere, velut etiam mani-

bus directio pedis fiebat, quo pes paulo magis ad valgum vergere videatur. Soleam etiam quandam facere oportet, aut ex pelle non nimis dura, aut è plumbo, eamque insuper alligare non ad corpus positam, sed ubi jam postremis linteis* deligare voles. Quum vero jam deligatus fuerit, unins alicujus linteis ex his quibus deligantur, initium, ad deligamenta quae infra pedem snnt assuere oportet, è directo parvi digiti, et postea sursum extendere, ita ut moderate habere videatur, atque sic supra suram circumdare, quo sic extentum ac collocatum stabile maneat. In summa, quasi quis ceram fingat, ad naturam justam adducere oportet, ita ut et inclinata et distenta praeter naturam, et manibus sic dirigamus: et similiter deligatione: addncamus autem non violenter sed leniter. Assuere vero ita oportet lintea, ut conducat ad reparationes ac appensiones faciendas. Aliae enim claudicationes alia reparatione ac appensione opus habent. = Deinde eodem libr. LXXIII. ita sequitur = Calceum insuper plumbeum facere oportet, extra deligationem ad alliga-

tum, qualem modulum crepidae Chiae habebunt. Verum nihil ipso opus est, si quis et manibus recte direxerit, et linteis recte deligaverit, et appensiones ac reparationes per assuta lintea recte fecerit; atque haec quidem est curatio, et neque sectione, neque ustione, neque alia varietate quicquam opus habet. Citius enim talia medicinae obtemperant, quam quis putarit. Devincire tamen tempore oportet, donec in justis figuris corpus auctum fuerit. Ubi vero calcei ratio habenda est, arbylae lutigradae, calceamenti ita appellati species accommodatissimae existunt. Hoc enim calceamentum minime a pede superatur, sed potius ipsum superat. Idoneus est etiam Creticus calceamentorum modus. = Haec optima Hippocratis documenta fecerunt, ut Ill. Scarpa curationis modum maxime utilem excogitaret. Hic enim autor 1. curationem ponit in flectendo insensibiliter et gradatim os naviculare, cuboideum, calcaneum, et ossa cuneiformia, et illa metatarsi, modo opposito illi, qui pedis deformitatem produxit; 2. in substituenda vi pro defectu potentiae ligamento-

rum externorum pedis, et praesertim musculorum peroneorum, quae non solum adaequet, sed etiam et illa tensorum ligamentorum interiorum, et musculorum tibialium decurtatorum superet; 3. in aequando potentias musculares peroneorum et tibialium, promovendo per actionem simul collatam horum musculorum, directam flexionem pedis super tibiam, ut hoc modo superata chordae magnae et musculorum surae tensione, tuber posterius calcanei deprimatur, et ad justam cum planta pedis directionem, et iterum pes motus extensionis et flexionis absolvere possit. Ad hunc finem elasticum apparatum proposuit, quem tradere praetermitto; siquidem quicquam praeclaram auctoris dissertationem perlegere debet, et hujusmodi apparatum iconibus expressum contemplari. Quoniam autem auctor, ut alii faciunt, curationem in duo tempora dividit, in primo dirigitur apparatus ad flectendum pedem ab interna parte ad externam, donec pes ad naturalem positionem et directionem cum tibia redeat; in secundo ad conservandam comparatam positionem nativam pedis cum tibia

et externo malleolo, et insuper ad calcaneum dirigendum, et constanter tibiam et fibulam ad perpendiculum cum astragalo retinendam. Utilitas hujusce apparatus experientia fuit confirmata, ideoque aliis excogitatis machinamentis praeferendus est, quibus certe pueri incedere non possunt. Sed, ut patet ab ipsis Hippocratis verbis, non semper machinamenta necessaria sunt; nam saepe simpliciores et commodiores modi ad restituendos pedes ad naturalem positum sufficiunt, ut fasciae quas assuere oportet soleae ex pelle è directo parvi digiti; quae fasciae ita sursum ducendae sunt, ut exterior pedis margo suspendatur, et ad naturalem positionem convertatur. Hinc scite animadvertit Richerand Vol. IV. Nosograph. Chirurg., haec machinamenta non esse necessaria, nisi cum distortio pedum completa sit; sed ubi puer dum incedit sustentatur super unum aut alterum pedis marginem, pro vitiosa ipsius pedis inclinatione, extrinsecus majorem soleam satis esse, si scilicet pes sub adductione flectitur, ut plerunque evenit, aut intrinsecus, si pes sub

abductione torquetur, quod rarum est. Et requidem vera pluries incompletam pedis distorsionem emendavimus aut manibus leniter distortos infantum pedes ad naturalem situm restituendo, aut molles pannulos inter pedes ponendo dum infantes fasciis circumvolvuntur, aut apte fasciis pes et crus ligando, non omissis per plures hebdomadas frictionibus et unctionibus ex oleo amygdalarum dulcium, quae mane et vespere fiunt, ut musculi et ligamenta distenta relaxentur. Pro pueris autem qui gradiuntur, utilissimae ocreae sunt. Sed jam tempus est cachexiis finem facere.

FINIS TOMI SEPTIMI.

INDEX

NIHIL OBSTAT

Carolus Porta Vice-Praeses Collegii
Medico-Chirurgici, Censor Medicus.

NIHIL OBSTAT

Fr. Augustinus M. Ferrara Mag. Carmelitanus
Calceatus, Decanus Collegii Theologici
Censor Theologicus.

IMPRIMATUR

F. Angelus V. Modena O. P. S. P. M. Socius.

IMPRIMATUR

A. Piatti Patr. Antioch. Vicesgerens.

PREZZO DEL PRESENTE VOLUME

Bajocchi 60.